# PLAVSVS
IN SOLEMNI CONSECRATIONE
# D. CAIETANI
THIENAEI,
CLERICORVM REGVLARIVM
## INSTITVTORIS.
HOC EST,

PLAVSVS eorum, qui Clericos Regulares, aut fundarunt,
aut instaurarunt, quorum series, in Arborem digesta,
habetur hic ære incisa.
PLAVSVS Religiosorum Ordinum Fundatorum,
PLAVSVS Europæ Principum,
PLAVSVS Principum Fœminarum,
PLAVSVS Vrbium,
PLAVSVS Virtutum.

*AVCTORE*

IOSEPHO SILOS CLERICO REGVLARI
BITVNTINO.

ROMÆ, Typis Ignatij de Lazaris. M. DC. LXXI.
SVPERIORVM PERMISSV.

# REGIAE PRINCIPI
# ADELAIDAE
## SERENISSIMÆ VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI,
## ET S. R. I. ELECTRICI,
## CLERICI REGVLARES. D.D.D.

NOndum publica de Diui CAIETANI, Sanctissimi Parentis nostri Apotheosi deferbuit gratulatio, Princeps Serenissima: idque iucundissimum nobis, in ipso penè æstu lætitiæ, eodemque ardore animi, quo Magnæ illi Animæ solemni ritu litauimus, hosce, quicumque ij sint, descriptos à Theatino calamo plausus Tibi, Tuoque Augusto nomini nuncupare. Donariolum hoc quidem, ac tenuis ex se labor: cui insuper, si Te, Tuamque Celsitudinem contemplamur, non modò non aliquid accedit magni, ac splendidi; verùm vbi fore putauimus, vt à tanti nominis Heroina, à regię splendore stirpis, à tot Augustæ Domus insignibus, à prisca tot Cæsarum, Ducumque gloria, laureis, palmis, triumphis momentum aliquod, ac decus deriuare in se facilè posset; agnouimus tandem, tantæ amplitudinis obiectu multis etiam partibus decreuisse. Nulli profectò sua constat magnitudo, si rebus longè maximis accedat propiùs: prçaltis molibus id proprium, vt minora fastigia penè decutiant; denique nulla non lux elanguit, aduerso Sole. Atenimuerò Caietanus ipse, eiusque Laureatum modò nomen animos arrigit, ac quid etiam inspirat audaciæ, vt has Tibi Musarum lucubratiunculas ad memoris animi, nostræque obseruantiæ specimen sistamus: Fieri namque vix potest, quin, quicquid est CAIETANI, perhumaniter excipias. Nouimus Tuam in Sanctissimum Dei Virum pietatem, ac studium. Familiare Tibi amuletum, Caietanus: si quid domi, forisque fluctuat, huic anchoræ innitetis: si tonet, aut quid asperi commurmu-

ret Cælum, hoc Tibi certissimum perfugium est; ad eius vmbram patrocinij secura periculi ac ærumnarum quiescis. Hinc pronior, ac nunquam non munifica in illum Tua manus. Recens est Tuæ, Tuique Augusti Coniugis in hac ipsa, quam modò celebrauimus, Inauguratione prolixæ magnificentiæ documentum. Vobis manus fuere aureæ, plenæ hyacinthis: à Vobis ornando Magno Thienæi capiti, aurum extitit coronarium: à Vobis in sinum Theatinæ paupertatis, vt publicis honoribus pro dignitate responderet, tempestiuus depluit imber aureus. Hinc etiam vniuerso Regularium Clericorum Ordini Compedes aureæ, quos tot iam nominibus obstrictos, cumulata beneficentia, arctiùs illigauistis. Et verò, Tua præsertim in Nostrates promerita ab assidua videlicet officiorum copia vsque adeò excreuere, vt plus nimio grauati, atque à tanta rerum mole laborantes, onus minimè sustineant. Non sat Tibi Monachium, in primariam nempè Vrbem, eamque ornatissimam illos euocasse, fouisse beneuolentia, amplitudine aluisse; templum etiam ad omnem magnificentiam, ac regio planè sumptu ijs excitas: quo quidem simul religionem ostendis tuam; quando cultu Numinis, sacræque ædis exædificatione opes consecras; simul mansurum in nos affectum, amoremque ab stabili, æternique ædificij mole luculenter significas. Prænobile verò Templum Diuę Adelaidæ ideò libentes, volentes dicatum iuimus, vt in fausto eo nomine Tu nobis statim occurreres; atque apud Clericos Regulares Dei cultus nunquam distraheretur à Tuo. Hæc sunt, Princeps Serenissima, quæ vi nos quadam cogunt, vt Tuæ semper incolumitati, Sospitati amplissimæ Domus, faustitatique Bauariæ votis nostris excubemus: & quæ, non quidem soluendo, sed testando duntaxat ingenua quadam animi confessione debito, impulere, vt subcesiua hæc Tibi de Diui CAIETANI laudibus studia, dicaremus. Congruenter incomparabili humanitati in nos Tuę, animique magnitudini facies, æqua si fronte accipias; cùm interim non minimùm quidem gratulari sibi fortunam suam Auctor debeat, quòd hinc CAIETANI virtus, quę dictionis materia est; hinc inclytum Adelaidæ Sabaudæ, ac Bauarę nomen stylum exornent, commendentque ingenijs.

Arbor



Arbor Clericorum Regularium
Ab idoneis Scriptoribus expressa
Proposita
In solemni Consecratione
SANCTI CAIETANI.

# ARBOR CLERICORVM REGVL.

## IN APOTHEOSI

## D. CAIETANI THIENAEI.

Stipite quę grandi, folijsque virentibus Arbor
    Surgit, sublimi vertice & astra petit:
Non palma est victrix, non Dodonea quercus,
    Non olea, aut passis cedrus odora comis.
Non oritur syluis: meritis frondescit; auitis
    Moribus excolitur; relligione viret.
Expandit ramos, sydus quà currit vtrumque:
    Illius omne solum nobilis vmbra tegit.
Est magnis fœcunda viris: hæc aurea poma,
    Quę nunquam Herculeę diripuere manus.
Insignes pietate Patres spectate colonos:
    Inserit hic, ferro hic amputat, ille rigat.
Sæpe at consenuit; sed sæpe repubuit; ęuum
    Et reparat pulchrè stirps rediuiua suum.
Auspice te, seris Arbor refloruit annis,
    CAIETANE, nouis visa virere comis.
Hinc modò, dum merito cultu te Roma coronat,
    Aspicis? haud fronti est extera pompa tuę.
Non opus est quercu, haud olea, lauroque virente:
    Ipse tuâ gaudes cingere fronde caput.

D. PETRVS PAVLVS NOBILIONVS
Congregationis Clericorum Regularium
Præpositus Generalis.

HOC Opus inscriptum: Plausus in solemni Consecratione D. Caietani Thienæi &c. à Patre Don Iosepho Silos, nostræ Congregationis Theologo compositum; atque ab aliquot Patribus nostris peritioribus, quibus id demandauimus, accuratè perpensum, & approbatum; vt typis dari possit, quoad nos spectat, vigore præsentium licentiam impartimur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, nostroque sigillo munitas damus. Romæ Quarto Nonas Aprilis 1671.

*D. Petrus Paulus Nobilionus Præpositus Generalis Clericorum Regularium.*

*D. Hieronymus Vitalis Secretarius.*

*Imprimatur,*

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magist. Sac. Palat. Apostol.

*Ioan. de Angelis Archiepisc. Vrb. Vicesg.*

*Imprimatur,*

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palat. Apostol. Magister.

# PLAVSVS

## Eorum, qui Clericorum Reg. Inſtitutum, vel fundarunt, vel inſtaurarunt.

NAtura comparatum eſt, vt quæcunque infra lunam ſunt mortalia, non ſtatim ab exortu ſuam ad magnitudinem, molemque aſſurgant. A quadam veluti infantia ita gradum faciunt, vt per interualla temporum ſubindè adoleſcant, vireſque acquirant ſuas. Eridani fluuiorum Regis ſi caput, ac fontem ſpectes, nihil in eo regiæ frontis, ac maieſtatis vides. Inter riparum cunabula vagire vix audis: ac planè non ille eſt, quem deinde militarem in modum auctum copijs, vrbes, oppida, campi metuunt. Accidiſſe hoc ipſum Diuo Caietano Thienæo abundè conſtat. Enimuerò ſtatim à morte, etſi quædam manarit ſanctimoniæ fama, atq; afflauerit piorum animos excellētium virtutū odor; exigua tamen hæc fuit, ac tacita inter Neapolitanos religio, ac veluti tyrocinium quoddam publicæ lucis: ſiue hæc fuerit natura ipſa rerum, vti modò monuimus, quæ non niſi ſuos per gradus, atq; eundo ritu fluminum creſcit; ſiue Caietani ipſius, ad ingenium nimirū, guſtumq; humilitatis, votum, quē ferunt, id antequam è viuis excederet, à Deo petijſſe, vt intra quoddam famæ rudimentum lateret diutius ſplendor ille, qui centum poſt annis, longè latèque diffuſus, in omnium oculos incurrit. Et verò à vitæ exitu, ita ſanctiſſimi Viri nomen, ac ſanctitas claruit, vt mediocri is contentus fidelium admurmuratione, intra modum exſplendeſceret: quoad acrioribus Romanæ Aulæ iudicijs reuocata ad examen inſignis virtus, ac mira, collocari bono in lumine cœperint, inſcripto ab Vrbano Octauo Pontifice Optimo, Maximo in Beatorum Syllabo Thienæi nomine. Ac tùm quidem & ſi, excitata communi pietate, per ea lætitiæ irritamenta creuerit illi plauſus, ac veneratio mortalium, adhuc lucerna ſub modio, hoc eſt, intra menſuram lucis videri potuit: quoad annis deinde labentibus Phœnix pluſquam cētenarius, ſuo veluti è cinere rediuiuus, ſe Cælo, ac ſummo loco, ſummaq; circumfuſum gloria, teſtatus eſt viuere, beneficiorum videlicet, ac mirabilium copia. In noſtra Neapolitana D. Pauli Æde, vbi pij Manes quieſcunt, eius Ara communis ſalutis ara appellari cœpit. Ab eius lampade ita creuit oleo pretium, ac vis, vt morborum omnium panacea eſſet. In morborum palæſtra, ac lucta eo inungi oleo opportuniſſimum. Nihil præterea frequentius, quàm a floribus ægrotantium corpora refloreſcere. Imbuti diuina vi quadam ad eius altare,

gel-

gelsimini, hyacinthi, rosæ, mala deinde profligabant, ac pro austeriore pharmaco amœnissimæ erant hæ veris deliciæ. Hinc accurrere omnium ordinũ, ac gradus viri, ac mulieres, summi, infimi: vt nudis etiam vestigijs honestissimæ matronæ antelucanis præsertim, ac vespertinis horis adire non dubitarent: hinc teri genibus aræ marmora, ac lachrymis prolui: hinc innumeræ passim beneficiorum testes tabulæ, atque affixa parietibus instrumẽta morborum: hinc omnigena, ac non exigui quidem pretii donaria, votiuæ scilicet ex argento lampades, calices, serica, atque aurea indumenta, vela acu picta, gemmarum item globuli. Quid præcisas Virginum comas, atque ad viri Dei sepulcrum voti causa allatas? Assidua planè erat, vt cętera persoluẽdis votis suppellex, ita hæc capillorum strages; erantque non leuia gratiarum argumenta leues eiusmodi crines pro parietibus extantes. Neque tot Caietani beneficijs visa defuisse publica Neapolitanorum magnificentia, ac religio. Nam præter incredibilem, quam diximus, ad altare mortalium frequentiam, splendidissimè respondit communis ardor. Siquidem cum viri quidam incitatioris erga Caietanum studij, agente nimirum intus Numine, excitata ad omnem elegantiam mole, lychnos, facesque non paucas in ea, atque in mænianis suis quodam ordine disposuissent, accendissentq; sub primam noctem; valuit vsq; adeò æmulandæ religionis studium, vt vertente mox anno plerisque in Vrbis vicinijs repetita hæc luminum scena noctem exhilarauerit. Libamenta hæc magnorum operum fuere, atque adumbrata primis duntaxat lineis consequentium annorum pompa. Enimuerò flagrantibus ab incomparabili quodam pietatis studio popularium animis, visa etiam à festis ignibus ab ellychnijs, à molibus, cereis facibus supraq; infraq; instructis, Ciuitas ipsa inardescere. Credi hæc nisi oculorum fide, minimè poterant. Vbi sese par magnificentiæ explicabat area, miræ ibi altitudinis surgebat pegma non vno quidem columnarum ordine suis cum epistylijs, ac parastatis: columnæ verò quà striatæ, quà auro illitæ, quà peregrini, ac maculosi marmoris specie theatrum æquè splendidum adornabant. Nam suppellex vbique argentea per gradus disposita, aulęa, vela, lemnisci, flores auro texti; in quæ cum confertissimus à lychnis splendor incideret, miro quodam repercussu luminum diem in ipso noctis sinu congeminabant. Admirationem, ac voluptatem mirum in modum adaugebant producta veluti in proscenium non sine motu, ac gestu Caietani facta, & Caietanus ipse, nunquam sine plausu actor. Eiusmodi grandiores, sumptuosioresq; machinæ supra quadraginta quotannis numerabantur: minorum verò iniri numerus vix poterat; præter officinas, porticus, domorum atria, ac propilæa, quæ splendore, ac cultu aras dixisses, quarũ templum Vrbs ipsa esset; quæ quanta quanta esset, locis summis, infimis, medijs coronari lucernis videbatur. Triumphales hæ vesperæ ad tertium diem producuntur, exundantibus æstu quodam populis,

ac primaria è nobilitate viris, fœminis, vltro, citroque commeantibus. Ab hac Neapolitanæ Ciuitatis religione afflatæ præcipuæ per Italiam Vrbes, suas etiam scenas communi pietati aperuere, festis nempe ignibus, & collucentibus ad fenestram lychnis: vt conspirasse in Caietani honorem tota videretur. Et quidem quædam populorum acclamatio hæc erat, qua impetu quodam, ac tacitè anteuertere solemnem eius inaugurationem visa est. Cũ enim quotidiana Beatissimi Viri munificentia affici se cernerent, ac semper aliquid noui afferret fama; id impensiùs cupere videbatur, vt eximia virtus, ac sanctitas bono in lumine coll catæ, publicæ tandem venerationi prostarent. Igitur gentium omnium votis factum nunc satis, ac perorata causa est. Clementis Decimi, Pontificis Opt. Max. profundo licet senio, non modò non effæta religio, verùm etiam longè fœcundior, felici puerperio quinque edidit vno nixu in lucem Sanctos, ab insigni virtutum laude hac nomenclatione, ac Laurea sanctitatis planè dignos. Quà Religiosi Ordinis Conditor, quà Clericus, principem in florentissima hac acie obtinuit locum Caietanus Thienæus, Apostolici spiritus, ac paupertatis ex asse hæres: alter Franciscus Borgia fuit, Societatis olim Iesu Præpositus Generalis, Aulæ prodigiũ, atq; à rerum humanarum, suique contemptu publicos honores promeritus. Tertius Philippus Benitius præclari Seruorum Ordinis Restitutor, cui potior sua seruitus, quàm oblati supremæ Dominationis fasces fuere. Quartus Ludouicus Bertrandus, è Dominicana familia, ab animorum segete, quam demessuit, non à Peruana opulentia diues: claudit agmen Rosa à Santa Maria, cui nil Rosæ fuit, præter voluntariæ afflictationis spinas, quibus ad deliquium, an ad delicium? lancinare se se acerrimè solita erat. Ex his alij alios dilaudandos sibi suscepere: estque omnibus vberior planè dicendi materia: Clerici Regulares ornare Parentem suum pro modo cùm debeant, versare ego in communi gratulatione doliolum meum cœpi, ne feriari inter nostri Ordinis curas viderer. Ergo publicæ huic lætitiæ plaudente Orbe, ac Cælo, colligere hos ipse plausus, ac veluti in classes centuriare, apud animum meũ constitui: quod perfecisse me video eo ordine, quem in huiusce operis fronte descripsi. Agmen ducunt Regulares Clerici, hoc est, qui religiosam hanc Clericorum disciplinam, aut inuexere primùm in Dei Ecclesiam, aut continenti quadam serie subindè cõtinuarunt, aut obsoletam tempore, expoliuere; aut collapsam erexere. Atque hos quidem Clericos Regulares repetere à primæuo Apostolorum Collegio, ac Principe eius Petro originem suam, res est hominum grauissimorum iudicio, atque auctoritate longè compertissima: id quod nos pridem in nostris historiarum Commentarijs momentis rationum, ac luculentis scriptorum testimonijs ita confirmauimus, vt non hic reponere, quod ibi fusius scripsimus, necesse sit. A Petro, cæterisque Apostolis, veluti è suo stipite, ac trunco creuit pulcherrima hæc

Ar-

Arbor, suosque succedentibus mox seculis ad omnia penè terrarum climata expandit ramos. Enimuerò, qui, diuiso Orbe, Apostoli ad omnes Prouincias viam Christi Euangelio muniuere, quas tùm vbique gentium Ecclesias fundarunt, hac vtique Regularium Clericorum disciplina fundasse, consentaneum omnino est: vt æquè commoda, ac paupertas communis Clericis esset, eodemque nutu, atq; annona viuerent, votorum religione adstricti. Extra verò Apostolorum Collegium Marcus, Petri interpres, Alexandriam, florentissimam nempè Ægypti Vrbem, illam transtulit; propagauitq; A Marco, accepta veluti lampade, Smyrnæ in Ionia illam fundauit Polycarpus; Ignatius Antiochiæ in Syria; Crescens eadem nimirum prima Christi ætate in Gallia. Altero mox Christi seculo Cyprianus Carthagine in Libya excitauit; instaurarunt que Romæ duo Maximi Pontifices, Vrbanus Primus, & Syluester. Tertio instaurati Orbis seculo. In Italia Transpadana Eusebius Vercellensis instituit; in Insubria Ambrosius, Basilius Cæsareæ, Hieronymus in Palæstina: quos insequenti statim seculo excepit Augustinus in minori Africa; eademque ferè tempestate Rhinoruræ in Arabiæ finibus easdem vitæ rationes coluere Niger, Dionysius, & Solon. Successit in Cisalpina subinde Gallia quinto seculo Prosper Aquitanus: tùm Fulgentius, Ruspensis Episcopus in Sardinia. Sexto deinde seculo, auspice Gregorio Magno, vidit reflorescere idem Institutum Roma: quod apud Allobroges Clarus Viennensis Abbas eodem nempe seculo excitauit; in Anglia Augustinus Cantuariensis; in Insulis Britanniæ septimo seculo Cuthbertus; in Gallia Lugdunensi Iuo Carnotensis, qui millesimo Christi anno floruit; in Hibernia Malachias duodecimo seculo; in Belgio Florentius, & Gerardus seculo quartodecimo. Demum superiore seculo Caietanus Thienæus vna cum Paulo Pontifice Quarto, Bonifacio à Colle, & Paulo Consiliario, cùm nulla iam ampliùs vetustissimæ eiusmodi disciplinæ cernerentur vestigia, Romæ sub Clemente Pontifice septimo instituunt. Præclara hæc porrò Clericalis disciplinę Institutorum nomina, quę suo ordine meminimus, fuit qui ornandę Beatissimi Parentis Apotheosi inter ipsa publicę Consecrationis solemnia in Arborem, quà amplitudine, quà cultu ornatissimam, digessit, atque in nostro Diui Andreæ templo omnium oculis exposuit, quæ ære etiam incidi voluit; vti in exigui huiusce Operis vestibulo cernitur: neque ea quidem omnia; nam attemperanda loco, qui non adeò capax, res fuit. Illa verò augere in Elogijs, siue Inscriptionibus, quas hic damus, quando non me situs angustiæ excluderent, liberum omninò fuit: tametsi neque ipse omnia, quæ Scriptores censent, stylo exceperim, delectu contentus. Itaque Clericorum Regularium Conditores hos dicant Sancto Caietano plausus.

# D. PETRVS APOSTOLORVM PRINCEPS,

## Et Apoſtolorum Collegium.

INSCRIPTIO PRIMA.

Enatam cum naſcente Chriſtiana Eccleſia,
PETRO obſtetricante,
Regularium Clericorum Religionem,
Eiuſdem non tam germanam, quam gemellam dices.
Eædem illi Cunæ, lac idem.
Parentes, non quidem natu grandiores,
Sed æuo pares Apoſtolos habuit.
Infantiam ne quære:
Statim à natalibus adulta, ac robuſtior
Ab Oriente ad Occaſum Solem,
Ad Arcton, ad Meridiem,
Peregrinari cum Apoſtolis ipſis cœpit.
Hoc mirum:
Viſos nempè Clerico-Monachos.
Hoc eſt, Regulares Clericos
Ad ſteriles Lybiæ arenas diuites;
Indicas inter opes inopes;
Ad Caucaſum non algere;
Segetem demetere, quam non ſeruere;
Elingues petere, ceu vocaliſſimos;
Quæ à mortalibus non poſtularunt,
Accipere ab aſtris affatim;
Diuinæ Prouidentiæ alumnos, aſſertores, vindices.
Age, Vir Sanctiſſime Caietane,
Quòd Apoſtolicum Inſtitutum
Suo veluti è Cinere ad vitam reuocaſti;
Æternus ipſe virtutum Phœnix,
Meritò Tibi honores hoſce publicos
Gratulantur Apoſtoli.

# D. MARCVS EVANGELISTA.

## INSCRIPTIO II.

Iubente Petro, aurigante Numine,
Ægyptum MARCVS petit.
Ad Orbis Emporium Alexandriam,
Apostolicæ Institor paupertatis,
Institutum attulit Regularium Clericorum.
Alteram in Ægypto accendit Pharon
Per clarissimarum documenta virtutum.
Quodam sanctimoniæ culmine dum Cælo assurgunt,
Pyramidas, molesque celsiores
Ægypto addunt Therapeutæ.
Vna ijs mensa, & mens.
A contemptu opum
Nullus in ijs pauper, nullus diues.
Horrere horrea, diuitias deuitare:
Augere per summam inopiam patrimonia:
Seculum condere aureum citra aurum:
Hæc præcipuè ijs Curæ.
Iam, Marce inclyte,
Quando pulcherrimas hasce tuæ vitæ rationes
Arripuit Thienæus,
Quo tu olim monumenta diuinorum signasti calamo,
Eo nunc in Ecclesiæ tabulis
Illius inscribe notis aureis nomen.

SANIA-

# S. ANIANVS EPISC. ALEX.

## INSCRIPTIO III.

Post MARCVM,
Accepta veluti ab eo Lampade,
Idem tu regularis disciplinæ stadium decurris,
ANIANE,
Auditor primùm, Successor deinde Marci,
Cuius ita expressisti mores,
Vt persanctè impresseris Ascetis tuis.
Hos nanque perinde instituis,
Vt cultu Clericos, votis Monachos
Vnanimis necteret charitas,
Communis aleret paupertas.
A proniore Numinis prouidentia,
Ab vltronea piorum munificentia
Splendidè pauperes.
A tuo subinde Cœtu ad Æthiopas
Apostolicum vitæ genus manauit.
Quid pulchrius,
Quàm inustam vultibus noctem
Luce morum inclarescere?
Ac decolorem, nigramque Gentis cutim
Votæ castimoniæ candore pingi?
Agnouisti, Aniane,
Anianum alterum in Caietano,
Tuamque ceu nitidissimo in Christallo effigiem.
Illi in solemni hac gratulatione si plauseris,
Tibi plauseris.

# HERMAGORAS AQVIL. EPISC.

## INSCRIPTIO IV.

Initiatus Marci etiam disciplina HERMAGORAS,
Vbi liberiori Cælo pares fuere plumæ,
Aquileiam ex Ægypto inuolauit,
Grandis ipse Aquila,
Cui nihil ad rapinam vnguium,
Multum inerat generosioris animæ,
Ad vitia discerpenda.
Aquileiensem Ecclesiam ita instituit,
Vt ab animorum, ac morum nexu,
A communi cœnatione, ac cœna,
In Monachos euaserint Clerici.
Visus è fertili Ægypto eò intulisse,
Non opes Nili, fruges,
Sed eximiam Ascetarum frugalitatem:
Non miracula molium,
Sed Diuinæ miracula Prouidentiæ;
Quæ nunquam non edidit Clericis Regularibus
Portenta.
Floruit hocce Aqileiæ Institutum,
Quoad fax illa terrarum Totila,
Totam à fundo florentissimam eam Vrbem euertit.
Non tantum sitiuit Ille sanguinem,
Leonum ritu, & rictu,
Sed lapides etiam rabidorum more canum
Momordit, ac fregit.
Corruisse verò mœnia, tecta, parietes,
Parum fuisset;
Nisi prostrata humi religio,
Et sanctior Vrbis pars Therapeutæ
Concidissent.
At quæ cecidit Aquileiæ Clericorum vita Regularium;
Caietano Auspice,
Restituitur Romæ.
Hinc Illi Sacrorum Regis nutu solemnis hæc Romæ Laurea.
Ades Hermagora, & gratulare.

D. PO-

# D. POLYCARPVS SMYRNENSIS EPISCOP.

## INSCRIPTIO V.

Asiæ hic totius Princeps; Smyrnensis Episcopus,
POLYCARPVS.
Ioannis etiam Auditor,
Quid non hauserit diuinorum ab Illo,
Qui tantum olim hausit diuini pectoris!
E Iouis capite erupit mendax Pallas:
Sanctior Ioannis sapientia è Christi pectore.
Smyrnensi imponitur Ecclesiæ Polycarpus:
Visus illam Apostolorum legibus illigauisse,
Formasse moribus,
Spiritu animasse,
Ceu superstites illi essent, aut rediuiui.
Et ipsemet in eo
Non tam Clericorum, quàm Monachorum Collegio
Infulatus Clericus, Infulatus Monachus fuit.
Habitus discolor, vitæ cultus concolor:
Eodem sub tecto
Agendi ratio, & modus idem.
Smyrnæo in Amphitheatro igni traditur
Martyr inclytus,
Personante in illum Populo,
Quando canere eius laudes debuit
Smyrnæus Olor.
Auctor pulcherrimæ eiusdem disciplinæ,
Caietane,
Habes nunc in Polycarpi theatro plausum,
Ab igne lucem nominis.

D.IGNA.

# D. IGNATIVS ANTIOCHENVS EPISC.

## INSCRIPTIO VI.

IGNATIVM
Petro in Antiochena successisse Ecclesia,
Magnum quid, ac splendidum:
Illud splendidius, ac maius;
Eius in Antiochena procuratione expressisse mores.
Quod ab illo accepit votæ Religionis Institutum,
Ita retinuit, vt amplificasset,
Si exactæ ad vnguem Petri disciplinæ
Addi aliquid potuisset.
Igitur si Clericos spectes,
Episcopus erat Ignatius;
Si ipsum, Monachus.
Amplissimæ Infulæ, quæ tantùm distant à cæteris,
Cultu vitæ minimùm distabant à cæteris;
Eadem annona erat; panis, & penus idem.
Differre is tantummodò videbatur
Vi magni pectoris,
Quam leones, & Leopardi,
Patientia perdomiti, fractique,
Insigniter probauere.
At, qui Petri olim pressisti pede orbitam,
Ignati,
Alterum nunc aspice Petri imitatorem,
Caietanum.
Huiusce, quæ illum modò inaugurat,
Romanæ Laureæ,
Partem tibi vendicas:
Nam tu quoque illi Regularis exemplar,
Et lex vitæ.

S. CRE-

# S. CRESCENS GALLIAE APOSTOLVS

## INSCRIPTIO VII.

Ornas & Tu, CRESCENS,
Apostolorum seculum,
Quod, si non esset, faceres ipse aureum,
Sanctimonia morum, & virtutibus aureis.
Pauli Auditor,
Tonare, fulgurare ab sanctiore eo Pericle didicisti.
Tantum ardoris ab igneo eius pectore mutuatus,
Vt è Galatia in Galliam impetu ignis abreptus,
Gallicam ipsam incendere potueris niuem.
Audis hinc Galliarum Apostolus.
Quid pulchrius, quàm comatam eam Gentem
Suo veluti crine ad Christum trahi?
Qui indormierant superstitioni suæ Galli,
A somno excitas, Crescens;
Docesque æternum Numen vigiles canere.
At Religionem Orthodoxam dum fundas,
Regularium Clericorum præcipuè Coetus fundas,
Viennensi Clero diceres deesse Apostolos,
Non Apostolorum formam, ac mores:
Nempè ijs erat, aut vna in multiplici corpore anima,
Aut vnus in multiplici anima sensus.
Conscende nunc niuales Alpes,
Crescens,
Cerne è sublimi eo vertice
Lætabundam, ac triumphalem Romam.
Si nescis, Thiénæum consecrat,
Qui tuas ipsas leges Romæ condidit.
Par est lætari te cum Vrbe, & Orbe.

D. VRBA-

# D. VRBANVS I. PONT. MARTYR

## INSCRIPTIO VIII.

VRBANVS Pontifex Primus,
Quem non tam Tiara princeps nobilitat,
Quàm quas ipse Tiaræ inseruit
Virtutum, ac sanguinis sui gemmas.
Altero Christi seculo
Nobile Clericorum Regularium Institutum
Iniecta manu retinet, ne labatur.
Ætas ea prima florentis Ecclesiæ
Ita nihil habuit delicatioris infantiæ, ac floris,
Vt robustissimam prætulerint iuuentam
Animæ illæ magnæ:
Efferbuit inuicem charitas;
Quæ animos fibulis aureis necteret;
Cæterùm summè pauperes erant:
Nisi quòd ex vota ea paupertate
Mira quædam existeret opulentia.
Nam cum communia essent omnia,
Quisque non sua videbatur possidere, seu sua.
Annis labentibus,
Visa eiusmodi diuitiarum possessio,
Siue præclarum paupertatis decus collabi.
Occurris, Vrbane, Maxime Pontifex,
Atque afflatu quodam Apostolici spiritus
Quæ elanguerat, communi vitæ
Pristinus accessit color, & succus suus.
Quicquid tu restituis, ac reparas,
Caietanus ad vitam reuocat,
Laudem promeritus eò luculentiorem,
Quò maius est vitam afflauisse, quàm instaurasse.
Triumphat modò ille
Sanctitate ritè laureatus:
Vbi tu olim, dato triumphali sanguine,
Strenuè concidisti.

D.CY-

# D.CYPRIANVS CARTHAGINIEN. EPISC.

## INSCRIPTIO IX.

Tertium Christi Seculum
CIPRIANVM edidit Regularium Clericorum Assertorem.
Mutuatus is à Cæcilio nomen;
Famam nominis Cæcilio adauxit suo nomine.
Qui serò orthodoxæ se se religioni mancipauit,
Illam, & quàm citò, & quàm bene expoliuit
Ingenio, eruditione, stylo.
Christianis sacris vix initiatur,
Et Carthaginiensis statim consalutatur Episcopus.
In ipso disciplinæ tyrocinio veteranus iam miles.
Id illicô aggressus,
Vt collapsa Clericorum vita,
Ac penè deleta Carthago,
Suo renasceretur è busto,
Ac certaret iterum cum Roma, non armis,
Sed Apostolicorum obseruantia morum.
Itaque ad florentis seculi amussim
Discinctos Clericorum mores ita reuocat,
Vt vota etiam Religione adstringeret:
Recaluitque Regularis vita,
Quam inter æstuantes Libyæ arenas refrixisse,
Monstrum sanè videri potuit.
Cum semper aliquid noui portet Africa,
Quæ consenuerat communis Clericorum disciplina,
Cipriani opera renouatur.
Idem hoc opus molitus egregiè est
Clericorum Parens Regularium Caietanus.
Hinc illi meritò Orbis cultus,
Ac fausta nomenclatio Sanctitatis.

# D. SILVESTER P. M.

## INSCRIPTIO X.

SILVESTER Maximus Pontifex
Alter penè Romanæ Ecclesiæ Conditor fuit.
Quam Petrus cruento sub Nerone
Fundauit sanguine:
Siluester magno sub Constantino
Maiorem fecit.
Surrexit, eo sedente, prostrata religio,
Ac visa renasci,
Renato piacularibus in vndis Cæsare.
Scilicet, Christi fides tunc emersit
Cum mersus Constantinus est sacro fonte:
Ac tum quidem templa Deus, cultum habuere templa.
Siluester inter cætera clarorum monumenta operum
Haud passus est Clericorum mores syluescere.
Reflorescentem in iis Apostolorum disciplinam
Excepit Lateranum Templum,
Augustale olim Cæsarum,
Augustum postea Clericorum Contubernium.
Nescias profectò à luxu Principum,
An à Religiosorum hominum parsimonia,
Fulserit sacra ea Ædes magnificentius?
Euenere hæc quarto Christi seculo:
Ac longè post hoc ipsum Institutum
Restitutum Romæ à Thienæo est.
Et ne deesset Basilicæ celebritas,
In Vaticano nuncupauit ritè vota:
Vt & cultu vitæ, & splendore loci
Cum Siluestro certaret Caietanus

D.ATHA-

# D. ATHANASIVS ALEXANDRIAE EPISC.

## INSCRIPTIO XI.

Non dissimulandus in solenni hac Panegyri
ATHANASIVS Alexandrinus Episcopus,
Arianorum ille æquè incus, & malleus:
Vt qui, & ictus ab ijs acceperit infractus,
Et ijs inflixerit imperterritus.
Fugiat, exulet, lateat:
Fuga illa pugnacissima fuit Parthorum more.
Exilium triumphus videri poterat,
Quando certauerat domi strenuè:
Latebræ eiusmodi fuere,
Vt prosilierit inde ad Nouatorum excidium,
Ceu Marmaricus leo.
Tantum præferuidi pectoris, ac ignis
Hauserat fortasse è Patris cinere,
Cuius in tumulo vitam diù egit.
Inter sua prælia Clericorum phalanges ita instruit,
Vt nihil Alexandrinæ deesset Ecclesiæ
Veteris disciplinæ.
Iisdem militabant in castris:
Ordo, nexus, vigiliæ constabant mirificè.
Veluti redijssent Alexandriam prisci Therapeutæ,
Gratulatur è Cælo Marcus.
Gratulare & Tu modò, Athanasi,
Nam Ascetæ illi tui,
Auctore Thienæo,
Rediere Romam.

# D. EVSEBIVS VERCELLENSIS EPISC.

## INSCRIPTIO XII.

EVSEBIVS Vercellensis Episcopus
E Sardinia Romam ductus à Matre,
Nactus Romæ Patrem est Eugenium Max. Pontif.
Cuius educatus in sinu,
Fius & obtinuit nomen, & expressit mores:
Vt citra Insulam par esset Eusebio Eusebius.
In Constantij Cæsaris occasu
Allegatus ad Orientem est à Liberio Pontifice.
Occiderant Ariano eo Principe,
Religio, disciplina, mores.
Hæc qui erexerit, Eusebius fuit.
Illud etiam pretium operæ fecit;
Florentes Alexandriæ Clerico-Monachos,
Transtulit ad Occidentem:
E Vercellis Alexandriam fecit:
Eaque in Ecclesia nescias, Cœnobitæ, an Clerici degerent?
Cum, & culturam sui, & Dei cultum
Pulcherrimè complecterentur.
Quam meruit Eusebius laudem,
Quis denegauerit Thienæo?
Cuius solemne elogium est,
Tot excitasse Cœnobia Clericorum.

D.AM-

# D. AMBROSIVS MEDIOLANENSIS EPISC.

## INSCRIPTIO XIII.

AMBROSIVM annectimus,
Quem populorum ardor eo impetu
Ad Insubriæ euexit Infulas,
Vt fuerit Ecclesiæ Pastor,
Antequam desierit esse profanus Prætor:
Fueruntque admirationi Infulati Fasces.
Pro tiara satis erat magno capiti eruditio,
Quæ pretium frontis insignibus,
Ac gemmis ipsis faciebat.
Loqueretur, scriberet:
Apes, quæ semel mellificarunt in cunis,
In ore, in calamo mellificabant semper:
Apis ipse Itala,
Cui non deerat sua cuspis.
Testis non vnus Cæsar,
Quorum vultus, ac sceptra ita non horruit,
Vt à quadam supercilij maiestate,
Videretur ipse Cæsarum Cæsar.
Dum leges dat Augustis,
Non dedignatur leges ferre Clericis.
Cum ijs communis Pater communi vita degit:
Infula, ac frontis dignitate distinguitur.
Contubernium, cultus, victus cum ijs idem erat:
Inter Clericos Regulares Episcopus,
Inter Episcopos Clericus Regularis.
Age, Antistes inclyte,
Thienæi festis hisce acclamationibus faue.
Fuit & Ille Clericorum Regularium Parens:
Et qui tui similis,
Amores promeretur tuos.

D.HIE-

# D. HIERONYMVS PRESBYTER

## INSCRIPTIO XIV.

Hyeronimvs Dalmata,
Qui quartum Christi seculum vita,
Quintum morte condecorauit,
In omnium admiratione seculorum erit.
Cum nil haberet culpæ, quod in se plecteret,
Morum innocentiam mulctauit pius lictor.
Vides affixum lateri leonem?
Forte eius optauerit vngues,
Vt pectus acrius dilaceraret suum.
Certè ab eo vim est mutuatus, ac neruos,
Quibus Vigilantios, Fortunatos, Arios discerpsit.
Scilicet, terrent adhuc eius scripta impios illorum Manes.
Siluit tandem Hieronymus:
Rugiet semper ille leo.
Porrò, qui, vt ait ipsemet, Presbyter fuit,
Monachum non exuit.
Siue Romæ ageret ad sepulchra Apostolorum;
Siue in Palæstina ad Christi cunas,
Regularium Clericorum Moderator, & Parens fuit;
Lux illis, & lex.
A tot Regionibus peragratis
Linguæ tibi fuere centum, centùmque ora,
Hieronyme.
In solemni hac Caietani inauguratione
Quam illum copiosè laudaueris!
In eo exornando
Eris tu instar omnium,
Qui linguis Gentium omnium loquebaris.

D.EV-

# AVGVSTINVS HIPPONENSIS EPISC.

## INSCRIPTIO XV.

AVRELIVS AVGVSTINVS,
Magnum Latinæ Religionis incrementum,
Hæreseon securis, Christianæ rei securitas fuit.
Non sat visum piæ Parenti,
Semel illum effudisse è sinu:
Peperit iterum lachrymis,
Difficili perindè, ac lætissimo puerperio.
Is verò alienis fletibus Christo genitus,
Non pepercit deindè suis:
Vt nescias, Matris gemitus profuerint Augustino magis,
An sui?
Inclytus Manichæorum transfuga,
Ingenio, eruditione, calamo
Illos profligauit.
Portentum isthuc ingeniorum Africa dedit.
Ab eloquentiæ, ac doctrinarum admirabilitate
Monstrum videri potuit:
At verius delendis monstris
Sanctior, ac fortior Alcides fuit.
Quam in Italia conceperat animo ideam vitæ,
In Africa ad vnguem coloribus expressit suis,
Instituto Clericorum Cœtu.
Qui suo cum Antistite vnanimes vno degerent in Contubernio,
Hinc Clericis Regularibus Regulam scripsit auream
Aurelius, Cœnobiarcha, & Præsul.
Hasce leges vetustate obsoletas,
Instaurauit, expoliuitque
Caietanus,
Æui sui Augustinus:
Earumque ipse vsu, & Cælum promeruit,
Et Romana Sacra.

D.IO-

# D. IOANNES CHRYSOSTOMVS CONSTANTINOPOL. EP.

## INSCRIPTIO XVI.

Et aureum os habuit, & pectus æreum
CHRYSOSTOMVS.
Antiochenus Hercules par Gallico,
Perindè facundus, ac fortis,
Potentiorum, & flexit ingenia, & fregit pectora.
In Augustos, in Augustas declamat intrepidè.
Eo dictionis auro
Inuidiam cöemit, & odia Principum.
Oderant dicentem, cuius nequiuerant non adamare facundiam.
Exilio non semel mulctatus,
Excedere è Patria eò libentius videbatur,
Quòd bona sua omnia,
Hoc est, innocentiam, virtutem, eloquentiam,
Secum ferret.
Viri constantiam Constantinopolis probauit.
Thracium numquam exhorruit fretum,
Cui mentis tranquillitas semper inerat.
Cultu vitæ amplissimam Infulam
Exæquari à Clericorum lacerna voluit.
Odæum, tectum, frugalitas
Eadem cum ijs erat, & cor idem.
Decet, Chrysostome,
In formanda Regularium Clericorum familia non dissimilem
Gaietanum,
Tuis laudibus exornari.
Quam ditescet ab aurea tua lingua Thienæa paupertas!
Quid ea splendidius inopia,
Quam oris tui copia
Amplificauerit?

NI-

# NIGER ; DIONYSIVS SOLON RINOCORVRAE EPISC.

## INSCRIPTIO XVII.

Terni in scenam nunc prodeunt,
Regularium Clericorum Parentes, Cœnobiarchæ, Antistites,
Hoc est,
Niger, DIONYSIVS, Solon,
Rhiconoruræ Episcopi.
Niger à morum indole longè candidissimus:
Dionysius in deuinciendis sibi mortalibus
Quandam exercere tyrannidem visus.
Solon à Sapientia appellari hoc nomine iure potuit:
Hi quinto Christiani Orbis seculo
Pristinam Regularium Clericorum disciplinam
Sartam, tectam voluere Rhiconoruræ:
Id videlicet loci,
Vbi ita se se inuicem Ægyptus, Arabia complectuntur,
Vt vel Arabes in Ægyptum,
Vel Ægyptij in Arabiam migrasse viderentur.
Clericos hic dixeris Cœnobitas:
Planè vt nihil deesset Clericis ad Monachatum,
Nihil ad Clericatum Monachis.
Iam, quando Thienæum, Clericorum Regularium Patrem
Excipimus ritè aris,
Messem Arabum, ac Sabæa thura
Afferte ex Arabia vestra,
Sanctissimi Præsules.
Inodorate Panchæa nube inclytum Nomen:
Par est fumare pretiosè hæc etiam Sacra.

## INSCRIPTIO XVIII.

Ex Augustini disciplina
Summa prodiere capita;
Vt è Sinonis olim equo flos Græciæ:
Inter primos PROSPER Aqitanicus.
Gallico, hoc est, frigidissimo licet sub Cælo,
Eximius illi contigit ardor ingenij,
Qui, auspice Augustino, nimium, quantùm excreuerit,
Accessitque ardori ardor à Catholica fide.
Inunctus Antistes ad Christianæ Religionis palæstram:
Certare, coronari erat.
Seu voce ageret, seu calamo,
Nunquam non ea vox Pæana cecinit:
Nunquam non laureatus ille calamus,
quem studium exacueret.
Nihil autem illi in Episcopatu antiquius;
Quàm Clericos suos ad antiquam Apostolorum normam conformare.
Pro gulæ illecebra communis, breuisque annona erat;
Pro Attali opibus communis inopia.
Neque paupertas ea placuit,
Quæ censu nititur, & quæsita stipe:
Sed cuius ora ritu veterum silentium obsignat:
Hoc porrò silentio nihil apud Deum facundius;
Insigne diuinæ Prouidentiæ miraculum est,
Paupertas, quæ muta loquitur.
Vocalissimum hoc silentium
Inter publica isthæc Sacra,
Ac populorum plausus
Caietanum mirè deprædicat.

# FVLGENTIVS RVSPENSIS EPISCOP.

## INSCRIPTIO XIX.

Aut ſydus, aut gemma fuit,
Qui à gemina eruditionis, ac morum luce adeò fulſit;
FVLGENTIVS.
Vtrumque autem videri potuit:
Quando & ſui ſeculi tenebras ingenio diſpulit,
Sidus longè fulgentiſſimum:
Et rebus in arduis
A pectoris conſtantia ſolidum expreſſit adamantem.
Gothorum rabiem vicit exilio,
Exilium tolerantia.
Quem diem Africæ eripuit Fulgeutius;
Diſcedendo,
Attulit Sardiniæ, adeundo.
Inſalubris ab aeris, Cælique grauitate Inſula;
Fulgentio affulgente,
Amœnior euaſit, ac ſalubrior Tibure:
Neque Sardinia eſſe poterat,
Vbi Fulgentius erat.
Hauſit is ab Auguſtino viuendi leges, & ſibi, & ſuis.
In communi Contubernio
Regit Epiſcopus, degit Monachus;
Aſcetarum regulas Clericis,
Clericorum ritus Aſcetis propinat.
Fulgentij hic fulgor in oculos Thienæi incurrit:
Excitatoque Is ad hanc ipſam ideam Cœtu,
Cum Auguſtino, cum Fulgentio
Clericus Regularis, & Clericorum Regularium Parens ruit.
Vtriuſque nunc gratulatione
Fumant vbique eius Aræ;
Ac merita laureantur laude
Virtus, & Nomen.

# GREGORIVS P. M.

INSCRIPTIO XX.

GREGORIVS cognomento Magnus,
Maior Maximis fuit.
Tacitæ, priuatæque virtuti addictus:
At publicæ longè par.
Simul Vrbana Præfectura fungitur,
Simul Monasteria excitat;
Portumquè curat medio in pelago.
Illum ad cliuum Scauri si spectes Monachum,
Dices Vaticani cliuo dignum,
Ad terrarum, Cælique regimen.
At per antra, per syluas honores fugit.
Quid illi vmbræ profuerint,
Quem euulgat columna ignea.
Columna proditus, in lucem prodit,
Sedetque in Petri Cathedra ad laborem.
Quem, vt Orbem regeret, indicauit Columna,
Columba instruit, vt Orbem doceat.
Insusurrat Illa auribus,
Quæ Gregorius scribat.
Cælestis verò ille Spiritus ita ad aures peruolat,
Vt nidificet in pectore.
Proh! quales diuina ea Auis
Inspirat, dictatque scribenti sensus!
Nihil in pennis Columbæ deargentatis leue:
Nihil in delicatiore alite non robustum, ac igneum.
Iam fræna Orbis dum capessit,
Fræna inijcit Clericis:
Quorum laxauerant mores Gothi, Vuandali:
Bellum quippe non tam opibus, quàm moribus importauerant
Barbari.
Monachos fecit, quos reperit Clericos,
Idem ipse Cœnobiarcha, qui Pontifex.
Plaude Gregorio, Caietane,
Qui facem tibi præclaro in hoc opere præluxit.
Plaude Caietano, Gregori,
Qui eadem hac arte sedes attigit igneas.

AV-

# AVGVSTINVS CANTVARIENSIS EPISC.

## INSCRIPTIO XXI.

AVGVSTINVS, Angliæ Apoſtolus
Diuiſos toto penitùs Orbe Britannos,
Romæ própiores reddidit,
Propinata Catholica Religione.
Eò à Gregorio miſſus,
A Magno nempè Magnus,
A domita ea Gente appellari Britannicús debuit.
Nihil ea Inſula importuoſius:
Aurigante nihilominus Numine,
Illam tenuit Auguſtinus.
Nulli non par Oceano Petri Nauis:
Non modò non ſcopuli terrent:
Sed veluti ſcopulus ipſa eſſet, non nauis,
Procellas,ac turbines frangit ipſa, non frangitur.
Igitur Britannicis fundatis Eccleſijs,
Britanniæ Apoſtolus audijt Auguſtinus:
Eò vel maximè, quod & populis Euangelium,
Et Clericis Apoſtolorum Inſtitutum adportauit.
Viſa namque in Clericis eadem victus, & vitæ ratio.
Nulli pauperies, opes nulli erant:
Quippe qui & nulli poſſiderent, & omnes.
Confer, quiſquis es, cum Auguſtino Caietanum:
Nihil certè differre comperies:
Vterque Auguſtinus fuit:
Vterque Thienæus.

CVT-

# CVTHBERTVS LINDISFARNEN.

## INSCRIPTIO XXII.

Prænobilis Orbis angulus Anglia
Septimo item Christi seculo
CVTHBERTVM dedit,
Lindisfarnensem Episcopum.
Ab albis olim rupibus Albion dicta Insula est.
Cur non à niueis Cuthberti moribus,
Abiecto Britanniæ nomine,
Iterum vocari Albion potuit?
Quod si toto ab Orbe diuisa Britannia est;
Nulli hoc melius congruit, quàm Cuthberto.
Qui affixus Deo, & Cælo,
Diuulsus à mundo, eiusq; illecebris erat.
Iam, Lindisfarnensem Ecclesiam iisdem vitæ rationibus temperauit,
Vti Apostoli ipsi temperassent.
Regulares, atque ad Apostolicam omninò formam
Clericos suos voluit.
Si quid accederet commodi,
Commune erat,
Contentis priuata inopia,
Quæ iis ita non vilis, vt illam circumferrent ad pompam.
Age, Caietane,
Cuthbertus sanctitatis tibi lauream gratulatur.
Quominus ad solemnia isthæc tua accedat,
Oceanus distinet Britannicus,
Cælo tamen gaudet, & plaudit.

# ISIDORVS HISPALENSIS

## INSCRIPTIO XXIII.

Ab Anglia ad vltimam Hesperiam velificamus.
Septimum hic item consecrat seculum
ISIDORVS Hispalen Episcopus.
Par hominum; nulli impar muneri;
Augustinus, Isidorus,
Ille in Angliam, hic in Hispaniam à Gregorio amandantur.
Vterque Gentium illarum Apostoli.
Alluuione Barbarorum
Mersa penè videri poterat Hispania.
Ab Vuandalis leonibus,
Quos Septentrionalis Vrsa miserat,
Ingens quà animorum, quà corporum strages extitit.
Gentium omnium impijssimis, ac ferocissimis
Non sat erat terras subdere armorum metu,
Nisi & contaminarent perfidia:
Qua ita orthodoxa occupauerant pectora;
Vt media in Hispania Gothia, Vandalia grassarentur.
In hoc circo immanissimis cum feris congressus Isidorus,
Mansuescere illas docuit Euangelio.
Clericos deinde vno regi nutu,
Ac Monachos, ritu veterum, voluit:
Vt non in Hispalensi modò,
Sed in florentissimis plerisq; Ecclesijs,
A communi vita rediuiui viderentur Apostoli.
Isidoro hoc profectò iucundissimum,
Adaugere nunc Diuorum Concilium
CAIETANVM,
Qui eiusmodi vitæ genere
Viam sibi ad publicos hosce plausus muniuit.

IVO

# IVO CARNOTENSIS

## INSCRIPTIO XXIV.

IVO Carnotensis
Galliam Lugdunensem natalibus exornauit;
Sanctiore deinde sapientia Gallicos Druydas vicit,
Facundia Gallicum Herculem.
Vitæ sanctimonia ingenium perindè, ac eloquentiam consecrauit.
Noti Vrbano Pontifici Tertio Viri mores:
Carnotensi Illum Insula ita auxit,
Vt plerique omnes non Iuoni Sacerdotium,
Sed Sacerdotio Iuonem congratularentur:
Quando adderet Is muneri dignitatem,
Chlamydi pretium,
Tiaræ gemmarum numerum virtutum numero:
Oues suas ad cutim tondebat, si spectes vitia:
Cæterum intactum illis vellus:
Neque lac subductum agnis.
Maius in Clericorum disciplina studium.
Videre erat in communi Contubernio Cœnobitas:
Vt toti in templi cultu essent, quà Clerici:
Toti in excolenda virtute, quà Monachi.
Consenuerat diues illa Apostolorum paupertas:
Nam quæ vsus perficit, vsus atterit.
Carnotensis cum laude instaurat
Decimo instaurati Orbis seculo.
Hinc meritò ad hanc Thienæi pompam,
Ac tot inter Regularium Clericorum Conditores,
Dum communis efferuescit gratulatio,
Suam miscet Iuo,

MA-

# MALACHIAS DVNENSIS EPISC.

## INSCRIPTIO XXV.

Non adeò hyberna ſydera Hybernicum Cælum aſperant,
Quin ad magna incaleſcat interdum Virtus.
Teſtis Dunenſis Epiſcopus,
MALACHIAS.
Quid eo pectore
Ad tuendam, augendamque diſciplinam ardentius?
Tantæ virtuti exornandæ
Par exacutus à Bernardo calamus.
In affligendo corpore auſterior cum eſſet Viri indoles;
Effecit Bernardus,
Vt nihil in eius vita aſperi,
Nihil eſſet in fræno corporis duri,
Inſperſo videlicet dictionis melle:
Viuet in Malachia Bernardus,
In Bernardo Malachias.
Id verò præcipuè commendat ſtylus;
Quod Epiſcopali impoſitus Cathedræ,
Cœnobiarcham ſe fecerit Clericorum.
Per eas Infulæ curas
Viſus à regulari diſciplina & abſcedere longiùs,
Et propiùs accedere.
Cui grandæua iam ſanctitàs, tyrocinium eſt auſpicatus:
Inſtaurata tertio decimo Chriſti ſeculo
Veteri Clericorum diſciplina.
Per hec veſtigia ita eandem hanc Regulam
Reſtituit Caietanus,
Vt demetat nunc tanti operis fructum:
Cælo nempè authoramenta gloriæ, terris aras.

# GERARDVS PARISIENSIS

## INSCRIPTIO XXVI.

GERARDVS Parisiensis Doctor,
Scientias ancillari virtutibus voluit.
Quam sibi doctrinis quæsiuit laudem, ac lauream,
Trasferri ad mores curabat,
Quos sanctiùs laureauit,
Genus deinde, ac opes
Ita non sua putabat,
Vt generosiùs contemneret,
Inumbrato vulgari lacerna splendore sanguinis,
Abiectoque amplissimo patrimonio,
Ne opum laciniæ virtutum cursum retardarent.
Vidit Is veterem Apostolorum disciplinam obsoleuisse,
Extincta communi Clericorum vita:
Erectusque ad hanc laudem,
Iacentes excitare primæuæ Ecclesiæ mores studuit:
Instituto Dauentriæ quarto decimo Christi seculo
Clericorum Regularium Conuentu,
Quibus eadem psalmodiæ ratio,
**Annona eadem, ijdem fuere mores.**
**Iam, in splendidissimo hoc Thienæi triumpho,**
**deesse Gerardus haud debuit;**
**Vt Clerico Regulari Clericus faueat Regularis.**

# D. CAIETANVS THIENAEVS

## INSCRIPTIO XXVII.

Ne desit triumphis suis
Is ipse Triumphater,
Adest hic CAIETANVS THIENÆVS,
Qui Regularium Clericorum Institutum
Per interualla temporum toties collapsum,
Ac toties erectum,
Superiore tandem seculo
Apostolici Vir pectoris, restituit.
Qui præclaro operi vel solus par, socios voluit:
Hos inter Io: Petrus Carafa, postea Paulus Quartus,
Quem Pontificia Infula non fecit,
Sed reperit Optimum Maximum.
Surgentem vidit Sodalitatem Vaticanum:
Audijt e propiore tumulo solemnia vota Petrus:
Mirata Aula est calcatos Aulæ fastus
Non alio fastu.
Ad aram procumbunt Victimæ:
Victimæ, an Sacerdotes,
Qui se ad acceptabile sacrificium iugularent?
Auspice Clemente Pontifice Septimo,
In Vaticani templo euenere hæc Romæ:
Auspice nunc item Clemente,
Eodemque in Principe templo;
Qui seipsum ad aram immolauit,
Latinis aris asseritur,
CAIETANVS.
Clerici Regulares,
Qui sanctissimo Parenti suo
Honores hosce publicos gratulantur,
Tanto Pontifici pares referrent grates,
Si pares referri grates possent.
Interim hæc ijs votorum summa, vt diù viuat:
Tesseraria verò Sydera,
Vt ineluctabile fatum serò ferant,
Aut conniueant, aut claudicent.

# PLAVSVS
## RELIGIOSORVM ORDINVM
### Conditorum

RELIGIOSÆ disciplinæ Conditori par modò est, vt reliquorum Ordinum Auctores lauream gratulentur sanctitatis. Planè cum multa sint, quæ Christianam Ecclesiam commendent, ac ornent; tùm Religiosæ cum primis Familiæ præcipuo ornamento illi sunt, & præsidio. Hæ castrorum illæ acies ordinatæ: hi chori castrorum in Sunamite: hi fortes illi ad lectulum Salomonis, omnes tenentes gladium: hi Vigiles, qui custodiunt Ciuitatem: hæc deniq; firmamenta, hæc robora Ortodoxæ Religionis. Ipsa verò in tot Religiosorum hominum Cœtibus varietas quàm iucunda, ac splendida? Hic ille prænobilis Reginæ cultus: in vestitu deaurato circumdata varietate. Neque profectò pertimescendum, ne confusionem pariat multitudo, quando Religiosi Ordines sunt. Quid ad ornatum pulchrius, quàm Familias cernere vsque adeò in tanta similitudine dissimiles; habitu discolores, concolores moribus; institutis, non animo discordes; discrepare legibus, non cultu, vsuque Sacrorum? Vides in hortis amœnitatem, elegantiam, oculorum illecebram? Vnde picturata illa veris stragula, quæ oculos, animumque abripiunt? vnde musiuum in areolis opus, ac vermiculata pulcherrimè aulæa, atque illa tot picta coloribus hortensis Iris? Certè à varietate, atque a multiplici florum forma, idea, cultu. Vides in purpureis, in candidis certare cum niue purpuram. Sunt, quibus color aureus pretium facit: sunt, quos subfuscus commendat pallor, Tyrio ipsi murici non impar. Folijs alij luxuriant, castigata alijs pompa: hi lutei, hi cærulei, veluti è Cælo genus duxerint. Vides hic comatulos, hic detonsos, hic tessellatos: vides fœderata quodammodo venustate, suam adaugere, & cumulare elegantiam anemones tulipis; hyacinthis narcissos, rosas lilijs. Hinc omnis illa hortorum pulchritudo: hinc iucundissimum illud vernæ amœnitatis theatrum, nempe à varietate. Igitur in tanta Sacrorum diuersitate Ordinum quan-

quantum additur Ecclesiæ elegantiarum, ac formæ? Non vna omnibus vitæ ratio: non vnus exterior ijs cultus: hi palliati, hi togati, hi penulati: in soleis alij, nudis alij pedibus incedunt. Hos arctior quædam abstinentia, penè ieiunijs aridos mirè exercet. Hi solitudini mancipati, nunquam in conspectum se se dant mortalium: rarò illi. Toti quidam in proximorum se commoda diffundunt; quidam Deo, ac sibi duntaxat vacant: actuosi illi, hi contemplatricis animæ studijs intenti. Assidua quosdam interdiù, noctuque psalmodia, quosdam litterarum studia excolendis aliorum ingenijs detinet. Quid homines disseminandæ ad exteras gentes Romanæ fidei destinatos? Quid illos, qui pueritiæ instituendæ operam nauant suam? Quid in captiuis redimendis; quid in ægrotantium corporibus procurandis occupatos? Quid hac munerum, legumque diuersitate præstantius, ac pulchrius? A quo illud etiam operæ pretium existit. Enimuerò cum alia alijs sit mortalibus indoles, ac genius; siue id soli, Cælique ingenio accidat, siue à parentibus, veluti ab sua stirpe propensio ea sit; non vnum omnes complecti Institutum, ac disciplinam potuissent. Nunquam enim cui lætior quædam indoles, solitudinem delegerit; neque cui subtilis ingenium, Ordinem inierit, qui in sole versatur, & puluere: atque adeò multiplicandi Regulares Institutiones, ac leges fuere, vt à delectu quodam attemperatum cuiusque naturæ viribus, ac propensioni contingeret vitæ genus. Quò quidem instinctu Diuinitatis collimasse Auctores ipsos Ordinum in suis Familijs instituendis putandum est: vt plures ad meditamenta virtutum, Deique obsequium munirent vias, quæ in tanta hominum, geniorumque varietate ita paterent, vt esset, quid singuli deligerent. At ne multis, quando de Religiosi Ordinis Conditore, nempe Caietano Thienæo eiusque solemni Consecratione hic agitur; plausores hic dare Sanctissimos, atque inclytos eiusmodi religiosæ disciplinæ Patres, visum mihi oppidò consentaneum. Hinc elogium quisque suum sic recitant.

D. AN-

# D. ELIAS CARMELITA

## EPIGRAMMA PRIMVM.

Incola Carmeli, Carmelo celsior ipso,
Vertice qui Cælum tangis, & astra feris.
Vaticana vides luxu radiantia templa
Attalico, atque aras thure calere nouo?
Nempè Thienæum Pater almus inaugurat, inter
Purpureo Diuos nectar vt ore bibat.
Par est Ille tibi: nam te rapuere iugales
Flammiuomi, ardentes & rapuere rotæ.
Illum ardens virtus Diuorum Cœtibus infert,
Et quæ flamma calet pectore, ad astra vehit.
Hoc dispar: Cælum ipse petis tunicatus; habesque
Pallia, quæ terris deseris: Ille nihil.

# D. ANTONIVS ABBAS

## EPIGRAMMA II.

Syluarum Pater Antoni, quas Numine plenas
Ipsius in laudes Numinis ire doces;
Auritasque facis quercus, dum sydera pernox
Alloqueris, tecum aut sydera visa loqui:
Tu deuota Deo scribis, Diue, agmina primus
Signifer: hinc alia & signa, alijque Duces.
Explicat hos inter sua mox labentibus annis
Sacra Thienæus signa, aciesque suas.
Hunc modò ritè Parens Romanus inaugurat, atque
Quæ Vaticanis ignibus ara calet.
Ergo alij Cilicâ cumulent altaria messe;
Ille Arabûm, segetem hic demetat Assyriam.
Tu myrtum, & laurus; vt festa fronde corones
Templa, fer è syluis munera, Diue, tuis.

D.PAV-

# D. PAVLVS EREMIT. PRINCEPS

## EPIGRAMMA III.

Tu prior vmbriferis degis, Paule inclyte, Syluis:
 Territat haud vrsus, Rex nemorumue leo.
Hic Cælum,& Numen prensas; & sanctior Orpheus
 Pertrahis ad quercus astra, hominesque simul.
Egressus syluis, ades & tu, Diue, trophæis,
 Quos Caietano nunc pia Roma parat.
Tempestiuus adej; poteritque augere triumphi,
 Quæ te quondam aluit prouida Palma, decus.

# D. PACOMIVS

## EPIGRAMMA IV.

Legibus è Cælo, Aligeris dictantibus, haustis,
 Diue, tibi parent agmina mille virûm.
Niliacæ florent rupes virtutibus: astra
 Mirantur vigiles: pectora nectit amor.
Qui sacram mundo Sobolem peperere ter ampli
 Patres, te, facto huc agmine, iure vocant.
Te quoque magnam Animam deducere ad astra Thienis,
 Par est, thuricremis & celebrare focis.
Aurea quæ linquis, repetes citò sydera; eritque
 Mox tibi cum Diuo dulce redire nouo.

D.BA.

# D. BASILIVS

## EPIGRAMMA V.

Flos Graiûm, Basili, & morum Pharos inclyta, vitâ
Nunc latitas tacitâ, nunc Solioque micas.
Insula te decorat, quæque ardet vertice gemma,
Sed sobole à grandi clarior ipse tua es.
Pompa Thienæi huc magni, huc & publica Romæ
Gaudia, & huc plausus, & noua thura vocant.
Diuo, Diue, faue: tua per vestigia priscos
Qui visus mores, & repatare Sacra.
Indigeti texe elogium: tu diuite dignus
Materia; digna est laudibus illa tuis.

# D. AVGVSTINVS

## EPIGRAMMA VI.

CAIETANE, meis dum legibus agmina fundas,
Agmina syderibus pendula, plena Deo:
Gratulor, Orbe iterum quod prisca repullulet ætas,
Atque iterum cultu splendeat ara suo.
Nunc quòd Romani signent tua nomina Fasti,
In noua subsiliens gaudia pectus abit.
Nam mea dum renouas, Aurelius ipse videris,
Et simul vt Phœnix sum rediuiuus Ego.
Nam quæ, Diue, tibi gliscit noua gloria Cælo,
Hæc eadem Cælo gloria vtrumque beat.

# D. HIERONYMVS

## EPIGRAMMA VII.

Exere, magne Senex, caput alto è puluere, pompam
  Cerne Thienæo, quam pia Roma dicat.
Extera si tellus, aut olim habitata tenerent
  Antra Palæstinæ, aut Persa, Canopus, Arabs;
Debueras terras metiri, atque æquora, plausu
  Publica vt augeres gaudia, Diue, tuo.
At Romæ degis, Romæ vetus incola; nullum
  Tranandum pelagus, nulla terenda via est.
Ergo ad sis, Damasi quique olim Scriba fuisti,
  Clementis magni Scriba disertus eris.
Ille Thienæi nomen ritè inserit astris:
  Tu calamo Fastis insere nomen idem.

# D. BENEDICTVS

## EPIGRAMMA VIII.

Quas olim leges, quæ muta silentia Eous,
  Quos coluit mores relligiosa Pharos;
Hos ego ad Occiduas traduxi sedulus oras,
  Inque hominum docui luce latere viros.
Nunc virides liqui syluas, & tecta Casini;
  Quaque ingens feruet vulgus, adesse libet.
Illius eximium par est augere triumphum,
  Indole qui nobis par fuit, aut similis.
Quàm vellem hic Diuûm stare agmina spissa meorum:
  Pulchra essent capiti, Diue, corona tuo.
At quid opus? tua te soboles generosa coronet:
  Præcingi haud serto nobiliore potes.

# D. MARTINVS

## EPIGRAMMA IX.

Claſſica, & arma olim ſequeris iuuenilibus annis,
Chriſti moxque refers ad pia caſtra gradum.
Ardes Marte nouo: tu Dux, tu miles, inermis
Dextra tibi; ſpiras prælia, pacis amans.
Sic Caietanus, pacati ſignifer Ille
Agminis, imbelli prælia Marte gerit.
Illius hinc celebres, Roma plaudente, triumphos,
Et Vaticano cerne trophæa iugo.
Quod ſi, Diue, velis magno certare Thieni;
Ille quidem, Cælo iudice, victor erit.
Nanque inopi chlamydem exerto tu diuidis enſe?
Non ſcidit, at totam prodigus ille dedit.

# D. ROMVALDVS

## EPIGRAMMA X.

Aſperior cultus mihi cordi, & curta ſupellex,
Vilior ad ſomnum culcitra, menſa breuis.
Strenua ſic alitur pietas: ſic itur ad aſtra:
Iuuit ſicque acies inſtituiſſe meas.
Dura Thienæo virtus: ſibi dirior hoſtis,
Et genio voluit nil licuiſſe ſuo;
Nempè mei ſimilis, nimiumque ſitiuimus ambo:
Nudi ambo, pallens vexat vtrumque fames.
Dura hæc Cælo olim Diuo peperere triumphos:
Hæc & nunc terris pulchra trophæa parant.
At vitæ ærumnam, thura & ſolemnia pende;
Crede, Thienæo gratior illa fuit.

D.IOAN-

# D. IOANNES GVALBERTVS

## EPIGRAMMA XI.

Clarus ab vmbrosa Gualberte, es valle: prææltis
Montibus & Vallis celsior ipsa tua est.
Iam tua septenis desit ne Collibus ima
Vallis, te studio principe Roma vocat.
Fastos nempè augent, solidoque adamante Thienis
Signantur Cælo nomina, clara satis.
Te dicent; si, Diue, aderis, pompam addere pompæ,
Gaudia & Indigeti congeminare nouo.
Transfuga qui lucis renuit splendescere terris,
Scilicet, vmbra Illi, grataque Vallis erit.

# S. BRVNO

## EPIGRAMMA XII.

Assuetum latitare procul mortalibus, atque
Assidua linguam vi cohibere meam:
In medios populorum æstus, quà templa diserta
Grandi voce tonant, insilijsse iuuat.
Parcite: dum Fastis adscitur ritè Thienes,
Et millena simul guttura, & ora sonant;
Est siluisse nefas inter tot gaudia, quando
Optassent muta hæc saxa vel ipsa loqui.
Nec latuisse iuuat: tanti lux nanque triumphi
In tenebris nullum, crede, latere finit:

# D. NORBERTVS

## EPIGRAMMA XIII.

Aulam olim, fastusque aulæ, vitæque sequutus
Commoda, & Attalicas ambitiosus opes:
Mox aulam, fastusque aulæ generosiùs, atque
Eoas cultu paupere temnis opes.
Curta humero pellis nitida pro veste, fuitque
Arcta Ceres victus, fusilis vnda merum.
Quàm similis, Norberte, tui virtute Thienes!
Aulam odit, genium frangere dulce putat.
Par meritum: hoc dispar: fulget tibi fronte verenda,
Et decorat meritum sacra tiara caput.
Hinc tempestiuè succedis Præsul ad aram,
Thure Thienæi fumet vt ara tuo.

# D. BERNARDVS

## EPIGRAMMA XIV.

Orbis ter ampli ter geminus Pater,
Ardet pyropo cui caput aureum,
Nomen Thienis dum verendum
Cælituum Ordinibus remiscet:
Non immerentem laudibus inclytis
Quis astra Diuum tollit ad ardua?
Virtute spectatum quis illum
Eloquio potiore dicit?
Burgunda, mellis nobilis artifex,
Huc culta verbis, huc Apis aduola:
Tu nempè sciueris Thienem
Mellifluis celebrare dictis.
Hinc ille lingua vectus amabili,
Ibit profundum trans mare, trans vias
Anni: Latinis iure Fastis
Et meritis potietur astris.

# D. DOMINICVS

## EPIGRAMMA XV.

Imples hæc meritò theatra, Diue,
Quinos quæ pariunt, ſacrantque Diuos.
Nam quæ diuite purpuraſcit oſtro,
Roſa, olim rutilat tuis in hortis,
Pinxitque areolam Indicam venuſtè.
At qui luteolam Roſam oſcularis,
Par eſt, lilia carpere & Thienis:
Hæc & corde gerit, manuque præfert:
Hæc & moribus exprimit: decora
Nanque vt lilia cura nulla vexat:
Nunquam ſollicita manu laborant,
Nec torquent pretioſa fila nendo:
Suas largifluis opes ſed aſtris
Expectant taciturna: ſic & Ille
Terram haud vomere ruſticus laceſſit,
Nec fronte irrigua colum fatigat.
Cælo nititur: vna ſpes laborat.
Ergo mixta roſis tuis, Thienis
Foue lilia, Diue, publicoſque
Augens lætitijs tuis honores,
Tuos plauſibus Orbis adde plauſus.

# D. FRANCISCVS

## EPIGRAMMA XVI.

Me dura egestas excipit, sinuque
Fouet seuero: textilis perornat
Cinis rudi me veste seminudum.
In assere est dulcis sopor; phalernus
Est vnda purior, famem famesque
Pellit: proculque auro lares superbos,
Falcemque temno siculam, Appulamque.
Cultus tenere pauperis putabam
Metam vltimam: fines meos nec vltra
Mortalibus fas esse transilire.
Fallor: recenti thure inauguratus,
Astrisque mixtus, ille me Thienes,
Pauper præiuit pauperem, tulitque
Palmam, triumpho dignus altiore.
Alget, sitit, nudus famescit ille;
Nec voce clamat supplici, nec aures
Pulsat piorum, quæritatque frugem.
O monstra paupertatis: huc, Thiene,
Adsum, tuis vt plauderem triumphis.
At splendidum silentium silendo,
Diue, interim laudo satis, superque.



D.PE-

# D. PETRVS NOLASCO

## EPIGRAMMA XVII.

Vincula qui Thracum, nexusque exsoluis ahenos,
Quique tenet rigidus colla reuincta chalybs;
Christiadum vindex bellè tibi nomina Petri
Conueniunt; siquidem soluere vincla, Petri est.
Sunt tibi nunc Cælo gemmata monilia, pridem
Qui nexus alijs, Diue, fuere graues.
Ergo vbi Roma adolet solemnia thura Thieni,
Illius & Fastis nomina signat, ades.
Nempè tot auratis ardes qui torquibus, istis
Te pompis cultu diuite adesse decet.

# D. PETRVS MORONVS

## EPIGRAMMA XVIII.

E tacitis syluarum vmbris ad sacra Latinæ
Sceptra Aulæ virtus te tua, Diue, rapit.
Mox iterum Latijs è fascibus, alter, & idem
Virtute haud repetis dispare dulce nemus.
Grande Aulæ, & nemorum portentum, & Maximus æquè,
Siue nites Solio in diuite, siue lates.
Nunc age: ne Romam fugias: non sceptra lacessunt
Inuitum, mundi non operosa chlamys.
Astra Thienæus scandit: dum respuis Aulæ
Tu plausus Latiæ, postulat Ille tuos.

# D. FRANCISCVS PAVLANVS

## EPIGRAMMA XIX.

Non ades huc lentus, quamuis prolixius æuum
Te grauet, effœto corpore, magne Senex.
Sed nec solus ades: tecum agmen nobile, lucem
Vt festam exhilares agmine, Diue, tuo.
At Caietani faueas, Paulane, triumpho:
Fausta sit & facili à Sole serena dies.
Nanque tibi mira est virtus: tibi militat æther:
Tu regis & nutu rerum elementa tuo.
Si iubeas; Cælo haud rutilet, nisi nobile sydus;
Lætior & nullus, crede, triumphus erit.

# D. BERNARDINVS SENENSIS

## EPIGRAMMA XX.

Francisci è castris summi vi Numinis actus,
Diue, nouas acies, & noua castra subis.
Allatrare, metu mortalia pectora grandi
Concutere, & scelerum monstra fugare, tuum est.
Textilis ille cinis quàm magnum contegit ignem;
Hinc ardes, multo & fulmine voce tonas.
Nunc siluisse iuuat: tacitè solemnibus aris
Adstandum; Indigetis sic noua sacra iubent.
Quod si fræna ardens contemnit lingua; disertè
Fare; sed in laudes ora Thienis eant.

D. IGNA-

# S. IGNATIVS LOYOLA

## EPIGRAMMA XXI.

Non ignota tibi virtus operosa Thienis,
  Ignati, egregium noscis ab ore Virum.
Amplexus miscere pios, miscere loquendo
  Mutua visi olim verba, animosque simul.
Nunc si magnæ Animæ grateris, Diue, Tuorum
  Illius & laudes ora diserta sonent:
Hoc erit in Cælum ferri; laudata Thienis
  Hoc erit inscribi nomina syderibus.

# D. TERESIA

## EPIGRAMMA XXII.

Virgo, mares animos grandi sub pectore condis;
  Nanque vir es; mollis fœmina at ore tenus.
Pulchrè exuta pedes, acies quà fœmina ducis
  Fœmineas; qua vir, Dux generosa viros.
Ritè Thienæo culta hæc ad templa litamus:
  Hic vbi nempè ardent pectora, thura, preces.
Huc, Teresa, tuis comitata phalangibus adsis:
  Crescat Carmeli è vertice festus honor.
Nanque Thienæo, seu plaudat fœmina, seu vir:
  Quæ plaudit virtus, mascula semper erit.

# PLAVSVS
## EVROPAE PRINCIPVM

IN Sanctorum Albo, Censuque Ecclesiæ Viros Sanctos, virtutum splendore, ac sanctimoniæ fama conspicuos referre, an magni momenti sit, satis indicant, quæ vetere instituto, ac ritu peragi in eiusmodi causis solent. Confici perdiligenter, ac grauissimorum Antistitum studio acta; reuocare ad lancem, ac peracri examine de virtutibus, de miraculis, ac fama hominum anquirere: decreta deindè Iudicum; sententiæ Patrum; quà priuatim, quà publicè Consultationes; mora ipsa temporis, ac lenta quædam maturitas; Pontificis suprema è Cathedra Oraculum: tùm sacrorum ritus, cæremoniæ, templi cultus, ac pompa, theatri lux, omnium ordinum concursus, populorum æstus, acclamatio; docent profectò hæc omnia, non leue quid esse, mortalem Virum quodam diuinitatis titulo laureatum, Ecclesiasticis inscriptum tabulis, assertum aris, publico thure inauguratum, vniuersi Orbis Religioni, atque vbique gentium proponere adorandum. Illud verò existimationem, venerationemque tanto operi non minimum adauget: Christianos nempè Principes ad Sanctissimos Romani Pontificis pedes suos per Internuntios sisti; ac Beatorum hominum Consecrationem infimis precibus, ac perquam demissè efflagitare. Mgnum quid profectò animo cõcipimus, cũ fastigia summa rerum, summa hominum Capita, ac mundi Apices, Cesares, Reges, Duces, eorumque propiorem Deo maiestatem prosterni ad Sanctissimi Patris Solium cernimus. Insolens planè diademata, coronas, chlamydes ad obsequia descendere. Ceruix illa Regia nulli iugo obnoxia, rarò, aut nunquam flectitur: caput maiestatis sedes, ac frons illa, in qua diuinitas quædam lucet, altiùs enimuerò collocata, quam vt ad aliorum se se pedes demittant. Quid elata mens, atque haustus à Maioribus animus? quid inter dignitatis conclauia educatio? Excipere ipsi quidem mortalium obsequia, ac penè adorationes solent. Vident circumfusam hominum multitudinem à vultu, ab ore, à nutu pendere: vident ad auritos pedes suos, vti festiuè dicere Sapiens ille solitus erat, concipere vota sua subditos: vident in foro, in compitis, in vijs ho-

nores sibi proniore fronte, ac vultu exhiberi: atque adeò eiusmodi officijs communique venerationi assuetos, perdifficile omninò est ad aliorum se se obsequia componere, atque id præstare, quod naturæ, indoli, dignitatique suæ minimè consentaneum esse, facilè tibi persuadent. Eapropter si eò aliquando deuenerint, non sine admiratione excipitur; ac sibi quisque persuasum habet, rem illam esse grauissimam, quam amplissimi Reges, ac Principes non sine mentis, animique demissione sibi aut perorandam, aut commendandam suscipiunt. Atque hinc sanè coniectari libet, quàm plena Sanctitatis, & quo instinctu Numinis à Summo sacrorum Rege inauguratio Sanctorum fiat; quando summi Principes ad eius pedes accidere, apprecari, vouere non dedignantur. Forte ab ijs diuinæ Apocalypsis Regibus dignitate oris, ac senio capitis spectatissimis didicere hoc nostri Reges. Siquidem cum conceptum Angelorum voce Trisagium Seniores illi viginti quatuor inaudiuissent; ad eum Sanctitatis nomenclationem impetu quodam acti interni Numinis, proiectis coronis suis, ad Dei thronum se se ipsi prostrauere: scilicet, addi sibi, suisque insignibus, ac coronis dignitatem, decus, gemmas putabant, non minui; si ad Sanctitatis eam vocem sua proijcerent diademata, ac seipsos ante Dei thronum sternerent. Quo quidem consequentes subindè Reges monuere, quid in eiusmodi acclamatione Sanctorum agerent: nempè vt ad Pontificiæ se se Maiestatis Solium sisterent, eorumque Apotheosim quàm humillimè postularent. Certatim hoc, ac peregregiè Christianæ Religionis Assertores, Romanæque Ecclesiæ Vindices non sanè pauci perfecere, quos iterum in theatrum isthuc euocamus, vt qui pridem magnarum Animarum Consecrationem votis suis iuuarunt, gratulentur ijs modò lauream, & plaudant.

# CLEMENS PONT. X. P. M.

EPIGRAMMA I.

In tabulis quæ clara ſuis inſcripſerat olim
 Nomina ſydereis, miraque facta Deus;
Romulidum Faſtis Nos conſignauimus, atque
 Diuis ritè nouis auximus Indigetes.
Caietane, præis: tu Signifer agminis eſto,
 Prima tuis fument maſcula thura focis.
At quoniam fulges noſtro inter ſydera nutu;
 Pectore tu memori Sydera noſtra foue.

# CLEMENS SEPTIMVS P. M.

EPIGRAMMA II.

Huc me plaudentis Romæ noua gaudia; magni
 Atque Thienæi laurea iure vocant.
Non adſum lentus: iuuat inſpectare triumphos,
 Quos Vaticani vertice Diuus agit.
Auſpice me, leges dictat Numa ſanctior, atque
 Florentes acies inſtruit ille nouas.
Gratulor hinc olim fusè: at nunc gaudia noſtro
 Largiùs exundant vberiora ſinu.
Olim nempè Herebo indicit bella aſpera; ſed nunc
 Victor, Io, ex Herebo parta trophæa refert.

## CLEMENS PONT. OCTAVVS

### EPIGRAMMA III.

Prona Thienææ Genti mea pectora quondam;
  Iuuit & officijs ſæpe aluiſſe meis.
Gentem qui condit præclaram, & legibus ornat;
  Cęlituum inſcribi gratulor Ordinibus.
Optaſſem hoc inter mea Sydera ponere Sydus,
  Illius atque aras thure calere meo.
Non ea ſors mihi: ſed CLEMENS quod conſecret alter;
  Neſcio quid laudis dat mihi nomen idem.

## CLEMENS PONT. NONVS

### EPIGRAMMA IV.

Clara Thienæi me virtus ceperat: Ille
  Firmiùs in noſtro pectore fixus erat.
Mens erat hinc nomen ſignatum adamante, vel auro,
  Diuorum ſuperis addere nominibus.
Mors vetuit præceps, & inexorabile fatum:
  Inuidet & Diuo thura ſuprema dies:
Cur non triſte mori? quando immortale fuiſſet
  Nomen ab inſigni hoc nomine nempè meum.

# PAVLVS QVARTVS P. M.

## EPIGRAMMA V.

Audijt vt PAVLVS ſtellanti è ſede triumphos,
  Quos Caietano Maxima Roma parat;
Me me feſta, inquit, tangunt hęc gaudia: mentis
  Ipſe Thienæi conſcius, ipſe comes.
Vnanimes ſimul ad ſacram procumbimus Aram;
  Dicimus vnanimes & pia vota ſimul.
Aſperior placet & cultus, faciliſque paratu
  Menſa placet, vilis culcitra, trita chlamys.
Ergo adſum & quando in duris conuenimus ambo,
  Par eſt, vt faciant nos quoque læta pares:
Nempè tuis hilari plaudo dum fronte triumphis,
  Ipſe idem videor plaudere, Diue, meis.

# VRBANVS OCTAVVS P. M.

## EPIGRAMMA VII.

Qui primus aſtris miſcuit arduis
Magnum Thienem; primus & igneas
Sacrauit Aras, & Sabæos
Templa dedit caluiſſe thure;
VRBANVS Aulæ Romulidum potens,
Olim Tonantis faſcibus inclytus;
Et Rector aſtrorum, & ſupremus
Tergemini Moderator Orbis;
Illum Latinis primus honoribus
Auxi, coruſcis nomina & inclyta
Signata gemmis, me iubente,
Chriſtiadum micuere terris.
Heroa noui: pectora Numine
Afflata noui: ſanctior Hercules
In monſtra fertur, & malorum
Iliadas domuit precando.
Libata nobis publica gaudia,
Gradæuus Orbis dum cumulat Pater;
Quàm lætor ornari recentem
Obſequio potiore Diuum!

FER-

# FERDINANDVS III. CAESAR.

## EPIGRAMMA VII.

Occidui quondam mundi, populique Latini
Frænator, Domus Auſtriacæ & laus prima, Thienis
Dum facta excutiunt Romæ ſuffragia Patrum;
Tu non ſerus ades: miſces pia vota, preceſque,
Ferdinande, tuas, ſtudijſque flagrantibus vrges,
Atque Animæ magnæ ſupremos poſcis honores.
Cauſa perorata eſt: meritæ iam Laurea fronti
Decreta: æterno nomen iam ſcribitur auro,
Romulidæ & Diuum grandi iam voce ſalutant:
Auſpice te, CÆSAR, Panchæa hæc thura vaporant;
Plauſus iunge tuos, cumulent tua gaudia Romæ
Gaudia; Tuque diem regali fronte ſerena;
Et FERDINANDVS ſit pars non parua Triumphi.

# LEOPOLDVS CAESAR.

## EPIGRAMMA VIII.

Pone tuam, CÆSAR, galeam, curaſque Gradiui
Exue, Apollinea & lauro, præcinctus & auro;
Quò te pura vocat pietas, hic ſiſte; theatrum
Impleat auguſtum grandi præſentia vultu:
Nempè Thienæum ſacrat, Cæloque locandum,
Numine dictante, edicit Pater inclytus Orbis.
Hæc pridem tua vota: rogas hoc ſupplice vultu:
Hoc tua relligio: feſtam nunc excipe lucem
Læta fronte: tuus decoret ſolennia plauſus.
Hinc aderit Diuus, belloque, & pace fauebit;
Armabitque tuas Aquilas; atque Auſpice tanto,
Et Te nullo vnquam terrebunt fulmine Thraces,
Et formidabunt Thraces tua fulmina ſemper.

PHILIP-

# PHILIPPVS IV.

EPIGRAMMA IX.

Caietane, tuis immixtus honoribus adsum,
Austria qui tenui sceptra ter ampla diù.
Vidi ego densa virûm sacram stare agmina ad aram
Sepiùs, & lachrymis ora rigare suis.
Certatim prensant, hic postulat, ille capessit
Dona manu: cunctis obuia dextra tua est:
Ipse tuos colui Cineres voti reus: ipse
Collatam grandi lampade testor opem.
Accipe nunc plausus: & quando publicus Orbis
Iam Pater es, Sobolem, Diue, tuere meam.

# LVDOVICVS XIII. GALLOR. REX

EPIGRAMMA X.

Quamquam te nostris arcent è finibus Alpes,
Diue, tui & Manes Itala Regna beant:
Fama tamen niueas trans Alpes vecta, triumphos
Hic etiam haud vno rettulit ore tuos.
Euulgat, quæ mira facis, que densa malorum
Agmina, quàm facili disijcis illa manu.
Hinc ego Sequanicæ Rector LVDOVICVS habenæ,
Hoc precor, vt meritis stent pia serta comis.
Romulidum prenso Patres, mundique Parentem,
Sollicito & votis vota Latina meis.
Nec mirum. Quando manibus tibi Lilia florent;
Lilia debuerant nostra fauere Tuis.

# LVDOVICVS XIV. GALLIAE REX

## EPIGRAMMA. XI.

Non hic ſolus ego LVDOVICVS Gallicus adſum;
 Tota ſed eſt mecum Gallia noſtra ſimul.
Nanque per abruptas Alpes non ſaxa, nec vndas,
 Præcipites viſa eſt nec timuiſſe vias.
Sic volui; vt pompa hæc populorum ferueat æſtu,
 Et cumulent plauſus agmina mille meos.
Nempè Thienæum terris, Cæloque verendum
 Roma coronato vertice ritè ſacrat.
Lætitiæ tantę non hęc ſat pectora noſtra,
 Tantaque nec caperem gaudia ſolus ego.

# PHILIPPVS BORBONIVS DVX AVRELIAM.

## EPIGRAMMA. XII.

Borboni, laudata premens veſtigia Fratris,
 Hiſce Thienæi plauſibus adde tuos.
Tu quoque ſollicitas Romanas ſcilicet aures,
 Audijt & voces Romulis Aula tuas.
Nunc faueas, ariſque adſis fumantibus, atque
 Votiua Indigeti da tua thura nouo.
Non leuis eſt operi merces: augebis honores,
 Inclyte Tu, Princeps, Illius, Ille tuos.

# AD FERDINANDVM SEPTEMVIRVM BAVARIAE DVCEM

## EPIGRAMMA XIII.

Vtraque cui paret generosa Bauaria, Princeps
Inclyte, & Imperij nouus Arbiter, ecce Thienis
Sanctior egregiam præcingit Laurea frontem.
Hic te tangit honor, tua sunt hæc gaudia; prono
Tu studio, calamoque faues, Aulamque fatigas
Tu precibus Latiam: pompæque vt gloria crescat,
Et Vaticano maior sit colle triumphus,
Regia largifluum manus insuper erogat aurum.
Felices animæ duris super astra catenis
Nectisi possent, & libertate carere;
Tu CAIETANVM, tu, Ferdinande, reuinctum
Vnus habes: gaudet pretiosa compede Diuus.
Subditur ille tibi: iubeas, parebit: in æuum
Obsequio promptus tibi seruiet æthere summo.

# RESP. VENETA

## EPIGRAMMA XIV.

Mater ego, & nutrix gremio fudisse Thienem
Gratulor, & puro lacte aluisse meo.
Indole grandæuus teneris non lusit in vlnis:
Ore puer, visus moribus esse senex.
Clara Illi virtus, creuit per templa, per aras:
Cælo hæret, terris vix habitasse putes.
Thuricrema Indigeti nunc templa sacrantur, & aræ,
Effulgetque inter sydera grande Iubar.
Diue, tui petimus nunc tanti luminis vmbram:
Semper ades: noster sit tua cura Leo.

# VICTORIVS DVX SABAVDIAE A

## EPIGRAMMA XV.

Inuicti soboles Caroli, virtutis & hæres
  Magnanimæ, Heroum flos, Italumque decus;
Votis sæpe tuis Romana oracula prensas,
  Pro Caietano sæpè iterasque preces.
Affulsit tandem lux optatissima : cernis
  Aras, Attalico & syrmate templa tegi?
Cernis Christiaduin gemmisque, auroque Parentem
  Ardere, & sacris addere thura focis?
Adde Subalpinam Latio, Dux inclyte, pompam;
  Ad plausum Taurus mugiat ille tuus.
Obsequio, Cultuque omnes te vincere, par est,
  Victori, nempè hoc nomina auita monent.

# CAROLVS EMMANVEL II. DVX SABAVDIAE

## EPIGRAMMA XVI.

Qui nunc fræna tenes Sabauda, fidus
  Custos Italiæ, tuique sceptri
  Nitor, gloria Principum, Ducumque,
  Cernis pegmata Vaticana? cernis
  Vt fulgent Phrygio theatra cultu?
  Præsigne Indigetum sacratur agmen,
  Ritè & sydereа locantur Aula.
  Qui fulget prior inclytus Thienes,
  Nouit, Romulidum tuis Parentem
  Pulsatum precibus, piisque votis,
  Et condit memor intimis medullis.
  Reddet munifica manu vicissim
  Diuus munera: Tu fauere perge,
  Tuo hæc & resonent theatra plausu.

CA-

# FERDINANDVS II. MAGNVS DVX ETRVRIAE

## EPIGRAMMA XVII.

Qui propior terris es, FERDINANDE, Latinis,
Non animo, aut studijs te decet esse procul.
Sydereis Roma tabulis plaudente, Thienis
Nomen adoratum candida gemma notat,
Magne, veni, tua & exhilaret frons regia Romam,
Crescat & Indigeti gloria, crescat honor.
Magni nomen habes: hinc tanto à nomine, Magno
Quæ Caietano est gloria, maior erit.

# COSMVS TERTIVS MAGNVS DVX ETRVRIAE

## EPIGRAMMA XVIII.

Emensis pridem terris, Regnisque ter amplis,
Cosme, pererratis in tua Regna redis.
Cursum flecte tuum nunc sacra ad culmina Romæ,
Ardua nanque tibi non adeunda via est.
Laurea, quam curas merita vt stet fronte Thienis,
Iam Patris Ausoniæ texitur illa manu.
Iamque caput redimit sacrum, iam plauditur: imple
Magnanime, aspectu, Cosme, theatra tuo.
Si faueas pompæ, Magni quod nobile nomen
Clari dant Ataui, nunc meruisse, rear.

# CAROLVS II. DVX MANTVAE

EPIGRAMMA XIX.

Hi templi cultus, hæc picta aulæa, theatri
Hi plausus, festa hæc gaudia Romulidum;
Secretis, Gonzaga, monent te vocibus, ornes
Vt Caietanum laudibus ipse tuis.
Scilicet, Indigetem suprema ad sydera ferre,
Cura tibi leuis est, est facilisque labor.
Nimirum, hinc siguis pulcher tibi Mincius vndis
Subditur, altiloquus subditur inde Maro.
Mincius Aonios præstat, Dux inclyte, olores:
Dat tibi facundus grandia plectra Maro.

# RANVCIVS DVX PARMAE

EPIGRAMMA XX.

Romula progenies, Tybrisque olim accola, Tybris
Huc te, Ranuci, Romula & Aula vocant.
Hic vbi Vittatus Clemens sua sydera donat,
Consecrat & Diuum nomina, digna cedro.
Hos inter fulget radiata fronte Thienes,
Cui tu flagranti pectore sæpè faues.
Plaude tuis studijs, Farnesi, plaude Latinis
Plausibus: expecta & diuite dona manu.
Ille Deo fruitur; qui temperat astra: precando
Hæc faciet votis astra secunda tuis.

FRAN-

# FRANCISCVS ESTENSIS DVX MVTINENSIVM

## EPIGRAMMA XXI.

Huc niueis Aquilis, grandi quæ Stemmate fulgent,
Francisce, & pennâ præpete vectus, ades.
Exultans te Roma vocat; testemque triumphi
Te Caietanus percupit esse sui;
Bella olim sequeris: rigidi te classica Martis,
Te litui, & raucæ te tenuere tubæ:
Gratum erit augustos post aspera bella triumphos
Cernere: gratus post timpana plausus erit.



COS-

# PETRVS ARAGONIVS DVX SEGORBIAE, ET PROREX NEAP.

## EPIGRAMMA XXII.

Parthenopes qui fræna tenet Dux inclytus, aure
Dum vacat assidua populis, & Regna ministrat;
Mente Thienæum versat, Romamque fatigat,
Contingant meritæ vt Diuo serta aurea fronti,
Publica odorato fumentque altaria thure.
Ad tumulum, cineresque pios stare agmina mille
Nempe virûm cernit, cladesque arcere malorum,
Quà prece, quà lachrymis, votiuaque soluere dona
Certatim, & tabulas suspendere pariete pictas.
Hinc ardor: toto hinc suffragia pectore Patrum
Vrget Romulidum, assiduus causamque perorat.
En modò, magne Heros, tua vota implentur, & inter
Purpureos viden, vt Patres, Proceresque Latinos,
Communesque inter plausus, & plectra canentum
Dulcia musarum, Romani & gaudia vulgi,
Ritè Thienæus radiatus crine triumphet?
An solus Latijs in Collibus ille triumphat?
Plauditur et soli Indigeti? quàm fallimur! vnà
Nam tua Relligio, virtus, pietasque triumphant.

# PLAVSVS PRINCIPVM FOEMINARVM

AVent & Principes Fœminæ in tanta luce mortalium suam hic miscere religionem, suisque vsurpare oculis honores publicos, quibus vnà cum lectissima Diuorum manu Caietano litatur. Scilicet, cohonestare suis plausibus peroptant partos ardore virtutum, nec sinè sanguine triumphos, quæ hos ipsos triumphos studio, officijs, ac postulatis suis visæ sunt adlaborasse. Neque insolens istiusmodi Heroinis prodire in publicum, aspectuque suo festos dies, ac solemnia exhilarare: & quando frequentius aliquando in theatris, in choræis, atque eiusmodi animi laxamentis sunt; quanto congruentius est, ac pulchrius sacrorum adesse ritibus, recentibus fauere Diuis, templorum theatra maiestate sui oris implere, acclamare fauste Sanctorum laureis? Plura sunt in mulieribus suis digna elogijs. Est capax virtutum indoles: est facile ijs ingenium, ac nullis non laudibus, ac studijs attemperatum. In regijs præsertim, Augustisque fœminis ita nihil interdum est fœmineum, vt certare cum viris ipsis granditate quadam, ac vi mentis, magnitudine animi, consiliorum grauitate, pectoris robore, studiorum splendore videantur. Prostat in historijs non vna Princeps, regnorum habenis, ac sceptris perindè par, vt ferendis legibus, regendis populis, sustentandæ Aulæ, tuendis, amplificandisque Imperij finibus natæ videantur. Italiæ, multorum licet Principum curis aduigilantibus, rarò sua contigit quies: vna Amalasuntha suo regit nutu, ac beat. Fuere deinde, quæ Martis frontem, ac aleam ità non exhorruere, vt cataphractos conscendisse equos, exercitus, legionesque ductasse, manus cum hostibus conseruisse, parum quidem fuisset, nisi eos etiam fregissent, ac triumphassent. Semiramidem, non tam compti, cultique nardo crines commendant, quàm soluta illa coma, quam, nisi domitis armorum vi, fusisque rebellibus, renuit illigari. Palmirenorum Regina sæpiùs victrix, triumphata semel, esse sibi animos, docuit, & magnæ fortunæ, & magnis infortunijs pares: planè mentiri in ea vultus, cultusque videbatur, vt esset tenus nomine, aspectuque fœmina; cætera, vir erat, ac spiritus verè maris, ac martij. Quid in alijs studio-

rum laudem,eloquentiæ splendorem , musarum elegantias memorem? Atenimuerò quæ præcipuè eas exornat, ac penè consecrat, ea est religio,ac deuota Deo mens,cuius ductu quicquid est pij operis animo, ac munificentia complectuntur. Ad hanc laudem sua ipsæ indole propendent: hic naturæ genius: hoc flexus ad omnem pietatem oris habitus monet: id omni æuo exemplo docuere suo præstantissimæ Reginarum:ita quippe addictæ Deo, ac Diuis, sacrorumque cultui fuere, vt eas, quas variarent acu telas; quæ vela studio, curaque sua pingerent, quicquid lucubrarent laciniarum, Deo ipsi, ac templis dicarent: vt & adaugeret templi ornatum labor; & adderent templa labori pretium. Itaquè congruenter religioni suæ lectissimæ Principes fecere, quòd Thienæi nostri honori velificantes, in hisce Illum triumphis consequendis opera, ac votis suis iuuerint: Cumulantque nunc insignem pietatem, quod hæc solemnia suis plausibus prosequantur. Quicquid verò peccauerit scriptor, facilè regia delebit, emendabitque Clementia.

ELEO-

# ELEONORA GONZAGA AVGVSTA

## EPIGRAMMA I.

Cæſareis aſſerta toris LEONORA ſub Arcto,
Res Italas grandi pectore curat adhuc.
Pro Caietano nam ſupplicat Illa, piaſque
Sæpiùs audita eſt congeminare preces.
Nuncfrontem exhilara Auguſtam, Gonzaga, Thienis
Nomina ſyderibus mille micare vides.
Ille tui memor, Auguſtam tutabitur Aulam,
Armabitque Aquilam fulmine & Ille tuam.
Quin tua fulmineis Aquilis non indiget Aula:
Scilicet, ille Aquila, & tortile fulmen erit.

# MARGARITA AVSTRIACA AVGVSTA

## EPIGRAMMA II.

Auguſtum decus Heſperiæ, Regumque potentum
Nobilis Auſtriadum Filia, Sponſa, nurus:
Tu quoque inardeſcis gelido ſub ſydere, pulchrè
Et Caietani te quoque tangit amor.
Ergo Thienæos orna Heroina triumphos,
Regalique tuo fulgeat ore dies.
Cultum auge: grandique tuo quam nomine præfers,
Emicet Indigetis Laurea MARGARIDE.

# ISABELLA BORBONIA HISPANIARVM REGINA

## EPIGRAMMA III.

Regibus innexa Auſtriadis, ISABELLA, ſepulchro
Exanimes vultus exere, &. ora tuo.
Aſpice ſepteno gratantem culmine Romam,
Quæque triumphali ſyrmate templa nitent.
Nempe Thienæum, nutu qui temperat aſtra,
Romulei Patris vox operoſa ſacrat.
Publica dum feruent populorum gaudia Romæ,
Tu tua regali Lilia funde ſinu.
Nam tua ſi fundas, Borbonia, lilia, gemma
Signari haud poterit candidiore dies.

# ANNA AVSTRIACA GALLORVM REGINA

## EPIGRAMMA IV.

Hæc Illa Auſtriadum Soboles lectiſſima, tædis
Gallica quæ nectit Regna, & Ibera ſuis.
Non fauet Illa ſemel, Caietanique perorat
Cauſam: eſt officij Dardana Roma memor.
Heroina ſua nunc ſe ſe proripit vrna,
Et præſens Latijs plauſibus eſſe cupit.
Hucque trahit Gallos; quàm bellè! vt voce ſonora,
Nempè Thienæo Sole oriente, canant.

MA-

# MARIA TERESIA AVSTRIACA GALLORVM REGINA

## EPIGRAMMA V.

Quà Rhodanus, quà regnat Arar, TERESIA regnas,
Sceptroque, & vultu Gallica Regna beas.
At non intra Alpes curas, intraque Pyrenem
Claudis; nanque extra ſpargitur ingenium.
Pro Caietano hinc tua currit epiſtola ſupplex,
Romaque Romuleum vidit adire Patrem.
Hoc Caietanus maius putat eſſe trophæum;
Nomine clarari pulchra trophæa tuo.

# MARIANNA AVSTRIACA HISPANIARVM REGINA

## EPIGRAMMA VI.

Inclyta ter magni poſt triſtia fata Philippi
Tu Marianna vices, ſceptraque Ibera tenes.
Tantis te rerum tantiſper ſubtrahe curis;
Et recreent mentem gaudia noſtra tuam.
Nempe Thienæum, toto quem pectore, priſca
Et pietate colis, thura Latina ſacrant.
Plaudit eques, plaudit plebs infima, Colles
Septeni plaudunt, templa, theatra, fora.
Ergo adsis; nec dona feras, quæ decolor Indus
Mittit: pro gemma diuite es vna ſatis.

CHRI-

# CHRISTINA ALEXANDRA SVECIAE REGINA

## EPIGRAMMA VII.

Quòd rutilent aut ſceptra manu, aut diademata fronte,
Inclyta ſit populis Illa vel Illa ſuis.
Tu, Chriſtina, manu ſceptra, & diademata fronte
Abijcis, hinc cultu ſplendidiore nites.
Te Te igitur poſcit feſtum ad ſolenne Thienes,
Magnanima hæc Illi pectora grata nimis.
Ornaſſent aliæ has gemmâ Garamantide pompas:
Pulchrius hoc; pompis indole adeſſe tua.

# ADELAIDA DVX BAVARIAE SABAVDA

## EPIGRAMMA VIII.

Romanum ante alias hoc te, Heroina, theatrum
Excipiat, nanque es principe digna loco.
Pectore tu grandi, dextra tu diuite nunquam
Nempè Thienæo viſa deeſſe tuo.
Hanc Vaticano pompam, quam cernimus, ipſam
Colle triumphalem, nouimus eſſe tuam.
Ergo Thienæi ſtent Faſtis nomina: nomen
Crede, tuum noſtro in pectore ſemper erit.

CHRI.

# CHRISTIANA BORBONIA DVX SABAVDIAE

## EPIGRAMMA IX.

Huc BORBONIA CHRISTIANA, magni
Henrici Soboles, Sabauda quondam
Cuius fræna manus leuis miniſtrat;
Huc adſis: meritas Latina Roma
Pompas excitat ſuas Thieni.
Aræ regificis nitent tapetis;
Fumant thure nouo ſuperba templa,
Et feſtæ reſonant vbique voces.
Lætus te vocat hic triumphus: vmbra
Tui nominis inclyti theatra,
Quæ grandi rutilant decora cultu,
Reddes luce tua elegantiora.
Hinc laudaberis omnium diſertè
Tu, Princeps, calamo, ſtyloque: nanque
Grande eſt elogium fauere Diuis.

# VICTORIA ROBOREA MAGNA DVX HETRVRIAE

EPIGRAMMA X.

Edita ad egelidi ripam, Heroina, Metauri,
Dat tibi prisca Arnus sceptra regenda manu.
Magnis clara Atauis, diffunditur aurea Quercus,
Protegit & populos nobilis vmbra suos.
Hunc modò Roboreo præclarum ab stipite ramum
Ad flauum vellet Roma virere Tybrim.
Nempè Thienæi cui publica serta parantur,
Hac cuperet meritum cingere fronde caput.

# ISABELLA CLARA AVSTRIACA ARCHIDVX, & DVX MANTVAE

EPIGRAMMA XI.

Nomine non poteras alio Heroina vocari,
Seu bona tu spectes extera, siue tua.
Virtutum, morumque Pharos, lectissima magni
Lux generis, CLARÆ quàm bene nomen habes:
Hîc vbi luce noua est frons irradianda Thienis,
Illi da radios, inclyta Clara, tuos
Nec minues lucem: siquidem quæ es nomine Clara,
Clarior, hinc hausto lumine, splendor erit.

MAR-

# MARGARITA ALDOBRANDINA PARMAE DVX

## EPIGRAMMA XII.

Quas nomen niueas præsignat amabile gemmas,
  Heroina tuo contegis ipsa sinu.
Relligio, morum candor, rectique cupido,
  Hæ sunt, crede, tuo in pectore margarides.
Inde Thienæo crescit sua pompa triumphi,
  Quem visa es votis sollicitasse tuis.
Nanque triumphalem Indigetis clamydemq; togamque
  Pingere Margaridum grandine sic poteris

# ISABELLA SABAVDA MVTINENSIVM DVX

## EPIGRAMMA XIII.

Aurea quæ misces Estensia sceptra Sabaudis,
  Luce Atauûm fulges, luce, ISABELLA, tuâ.
At tua te virtus plusquam tua Stemmata clarant;
  Estque tuum pietas relligiosa genus;
Nobilis Heroina, iubar tamen affer vtrumque:
  Quam clarus gemina hac luce triumphus erit!
Magnum, olim studio, & votis fauisse Thieni:
  Nunc fulgere tuo lumine; maius erit.

# PLAVSVS
## EVROPAE VRBIVM

COnfluxere huc non Italiæ modò Vrbes; quæ propiore afflantur Thienæi nomine, ac Cinere; verùm pleræque etiam ab omni Europa, quæ concentum laudum, an certamen? adornant. Omnes in hanc Panegyrim fine delectu admittere, infinitus propemodum labor esset: totam præsertim censeri Italiam oporteret, cum nulla sit in ea Ciuitas, oppidum, pagus, vicus, quò non peruaserit, non tam Caietani fama, quàm beneficentia; eiusque patrocinium, ac pronas inuocantibus aures signatis tabulis testantur. Et verò excitata Neapoli extremis hisce temporibus à patratis nempè miris in illum pietas, vsque adeò exarsit, vt quod euenire in incendijs solet, vt momentò vicina quæque loca flamma corripiat, ac longè, lateque grassetur; hoc ipsum, non quidem mora, sed impetu quodam in Principe Neapolitani Regni Vrbe quodammodò exardescente, acciderit. Correpta cum primis populari ea flamma Neapoli, breui commune Ciuium perfugium, ac communis salutis ara fuit Caietani ara. Hinc ingentes populorum concursus: vt patere Diui Pauli templum, vbi pij Manes quiescunt, ad multam noctem oporteret: & quas interdiù concursationes sol viderat, noctu etiam astra conspiciebant. Ab Vrbe transilire ad suburbia, ac suburbanos vicos, pagosque pietatem, facile fuit. Hinc finitima statim oppida, vrbesque incensæ; à quibus afflata mox vtraque Calabria, Lucani, Salentini, Appuli, & quicquid est in Neapolitano Regno locorum, ac gentium. Idque sanè mirum, non eas modò corripuisse Vrbes, vbi nostri homines degunt: perfacile quippè fuisset, eorum studio, ac linguis inflammari populos, ac propagari Viri Dei beneficentiam; verùm etiam vbi Theatinum nomen vix vnquam auditum, ac peregrinari earum gentium aures videbantur. Dum enim serpit rumor, ac ardor, nulla non oppida, atque obscura quæque, atque intima regionum loca affecit. Visi proinde vbique ad Caietanum concursus: vbique in tabulis, pro parietibus, in templis, in aris effigies: implorata eius ope beneficia vbique complucre, narrari, ac literis consignari. Exterorum etiam Ordinum Religiosi viri, populis efflagitantibus, suis in Ecclesijs aras excitarunt.

Id

Id quod & fructuosum ipsis ab eleemosynarum segete, & salutare alijs à collatis beneficijs fuit. Eadem animorum conspiratione excepta per reliquam Italiam in sanctissimum Virum concepta deuotio. Latium, Vmbria, Picenum, Æmilia, Transpadana, Cispadana regio, Veneti, Ligures, Insubres vnanimi pietate, assensuque in ipsum feruntur: planè vt triumphare in iis dixeris Caietanum. Extra Italiam verò in Hispania incredibile dictu est, quanto cum pijssimæ gentis studio, ac frequentia populorum cœptum coli Caietani nomen. Matriti potissimùm æquè viri principes, atque infimæ sortis homines ad eius aram procumbunt: Augusti ipsi Reges, quod insolens, visi Caietani templum adire, ac vota etiam, illi nuncupare. Magnum hoc quidem, in regia, magnaque Vrbe, atque in præcipuis Hispaniæ Ciuitatibus coli: Illud fortasse maius, hæc ipsa in exiguis oppidulis florere studia popularium. Enimuerò testatus quidam ex nostris est, se iter per Hispaniam agentem in modicis quibusdam vicis, ac pagis simul inspexisse extare in templis Caietani Effigies, simul aduertisse, spirare in popularium animis à singulari quadam pietate Caietanum ipsum. Incaluit preterea trans Alpium niues hoc studium, ac nota Parisiensibus Viri sanctitas, beneficia, miracula. Affulsit Germaniæ inclytum nomen: Efferbuit in Boëmia in illum pietas: colit Bauaria: neque sterilis lectissimorum Electorum in Caietanum religio: quando in eo exornando largior regia eorum manus fuit. Igitur, cum in more positum sit, vt ad Vrbes peragrandi, visendique Orbis gratia gens hominum peregrinetur, quòd Vrbes ipsæ, triumphis hisce suis oculis vsurpandis, honestandisque sui præsentia nunc peregrinentur; fieri vix potest, quin iucundissimum nobis accidat. Romæ duntaxat quies, quæ immota manens, dat cuncta moueri. Suo ipsa in theatro sedens, facem cæteris prælucet; suoque epigrammate in hunc modum plaudit.

# ROMA

## EPIGRAMMA I.

Clarorum monumenta operum, quæ plausibus orno
Roma meis, magna & nomina ad astra fero;
Te, Caietane, inspexi florentibus annis
Edere, teque virum maxima, teque senem.
Et complesse Orbem miris; terrasque per omnes
Isse triumphatis parta trophæa malis.
At Vaticana quod tradiùs arce triumphas,
Tardiùs & niueis sydera scandis equis;
Nil pecco: tu causa moræ: tot nanque triumphis
Debuit ornandis hora, diesque trahi.

# MATRITVM

## EPIGRAMMA II.

Apex Iberæ Gentis, & potentum
Augusta sedes, & ter ampla Regum,
Adsum triumphis inclytis Thienis:
Nec fræna nouit pectoris voluptas.
Portenta Diui mira, monstra rerum;
Quæ vis loquendi dixerit diserta?
Sum testis ipsa: vidimus malorum
Lernam subactam, luridasque mille
Terris ab istis exulare pestes.
Prona stat aure, proniore dextra,
Vlnisque Ciuis excipit beatis:
Solatur, erigit, fouet, medetur.
Hinc iure gratulor Latina sacra:
Tibique gratulor tuos triumphos;
Ceu, Diue, ducam nunc meos triumphos;
Et plaudo plausibus flagrantis Orbis.

VLI-

# VLYSSIPO

## EPIGRAMMA III.

Vltima ad Oceanum quamquam me distinet ora,
  Attamen haud tua me gaudia, Roma, latent.
Festa Thienæi lux fulsit: mille per ora
  Fama aras Diuûm commeruisse refert.
Nulla meæ Genti vox gratior: Ille malorum
  Vindex, tutela & certior, Ille salus.
Hanc auro, gemmàque diem vt signem; hinc meus Indus
  Det gemmas, aurum det meus inde Tagus.

CAE-

# CAESARAVGVSTA

## EPIGRAMMA IV.

Vrbs ſum Regia, Cæſarum vetuſtis
Clara inſignibus, & potentiorum
Sedes inclyta, Ciuitasque Regum.
Me pictæ chlamydes, trophæa mille,
Mille & condecorant coruſca ſceptra.
Regum fræna colo: illigata nexu
Grandi, compede glorior decora,
At me mille etiam illigat catenis
Dextra diuite pronior Thienes.
Infortunia Corporum coercet,
Et nutu fugat, aſperumque blanda
Sua ſcit prece mitigare Cælum.
Hinc obnoxia & inclyto Thieni,
Et tot munificis reuincta donis,
Mihi gratulor auream catenam.
O Rex, Auſtriadum decus potentum,
Et flos, ſum tua tota: ſed viciſſim
Tota & ſum tua, Sanctior Thienes.
Vtrique obſequium offero, genuque
Teſtor ſupplice pectoris catenas.

VA-

# VALENTIA

## EPIGRAMMA V.

Huc immixta tuis laudibus inclytis,
Donisque innumeris aucta Valentia,
Adſum, Diue, meis fumet vt aurea
Indis ara vaporibus.
Quis credat? Tua vix nomina noueram,
Vix & fama leuis murmurat auribus;
Cum tu munificus gurgite diuite
Fundis dona vocantibus.
Et membra huic reparas: quique vicarijs
Fulcris carpit iter, tu pede libero
Confeſtim ire iubes: tum reparabilem
Diſpenſas oculis diem.
Hinc & Tu meritò nunc caput inſeris
Cælo, & Diuûm te nectare proluis:
Et nos te merito thure ſacrauimus
Sabæo, & prece publica.

# PARISII

## EPIGRAMMA VI.

Pennis fama ſuis tranſuecta curulibus Alpes,
Fauſtè viſa aures exhilaraſſe meas.
En, ait, immixtum Diuis pia Roma Thienem
Conſecrat, & Templis en noua thura calent.
Hæc pridem mea vota: meis non Regibus vnquam
Cura prior; longas odit & Aula moras.
Nempè Viri virtus ſat nota, & amabile nomen,
Munera & è facili quæ pluit Ille ſinu.
Par eſt Indigeti Templum nunc ponere, & aram:
Templa ſed hoc pectus, cor ſit & ara meum.

PRA-

# PRAGA

## EPIGRAMMA VII.

Vrbe Thienæam Pubem donaſſe, ſinuque
  Genti ſydereæ tecta locaſſe meo.
Grator, proh quantum! at maior nunc pectore toto
  Lætitia exundat, cordaque ſubſiliunt.
Nempè Thienæo vnanimi iam plauditur Orbe,
  Illius & diues latiùs ara calet.
Sic Pater Auſoniæ voluit: faſtisque Latinis
  Nomen, & æterno ſcribi adamante iubet.
Credite: ſim quamuis Vrbs vna triurbis, oborta
  Gaudia tergeminus non capit iſte ſinus.

# MONACHIVM BAVARIAE

## EPIGRAMMA VIII.

Quàm meritò Indigeti huic magno mea thura vaporant:
  Et mea quàm meritò templa ter ampla calent.
Hic me tangit honor, mecumque Bauaria plauſu
  Tota ardet, ſenſus nec capit ipſa ſuos.
Nanque Thienæi auſpicijs ſtant Norica Regna:
  Ille Aulam, Auguſtos ſuſtinet ille Duces.
Magna dedit: quando at nomen iam grandius Illi;
  Sanctior & cultus, ſplendidiora dabit.

# NEAPOLIS

## EPIGRAMMA IX.

Sacra Thienæi colitis quæ laudibus Vrbes
   Æmulæ, odoratis excipitisque focis;
Summa licet vestris exundent gaudia fibris:
   Cedite: lætitiæ palma decora mea est.
Ipsa pio Cineri propior; me cominus afflant,
   Meque beant nostro hoc ossa reposta sinu.
Et video ad tumulum fusa agmina supplice vultu:
   Fictos hic oculos consecrat, illa comas.
Iam loca muneribus desunt: his nempè triumpho
   Exuuijs: palma hinc nostra perennis erit.

# MEDIOLANVM

## EPIGRAMMA X.

Spectata ingenijs, & cultu fertilis agri
   Insubriæ Vrbs princeps, altera Roma vocor.
Hinc par est Romam vittatæ plaudere Romæ,
   Quæ Caietano publica thura sacrat.
Plaudimus: & Diuo simul hos gratamur honores,
   Et noua sydereis addita serta comis.
Sic mens grata iubet: nam quæ facundia dona
   Enumeret, facili quæ pluit ille manu?
Haud par lingua mihi: meus hic, cui lingua trilinguis,
   Dicendo haud impar Insuber Anguis erit.

# VENETIAE

## EPIGRAMMA XI.

Vndis merſa licet, nullis tamen obruor vndis,
  Regina Adriaci quæ rego fræna maris.
Quis credat? nimio nunc mergor, & obruor æſtu
  Lętitiæ, & mea me gaudia conficiunt.
En Caietanus, ſanguis meus, additur aſtris,
  Inter & Indigetum nomina nomen habet.
Diuo creuit honor terris, felicia Cælo
  Pectora delicijs & maduere nouis.
Illum dumque beat vis maior nectaris almi;
  Obruta delicijs naufragor ipſa meis.

# GENVA

## EPIGRAMMA XII.

Iani bifrontis Filia nobilis,
Premamne muto gaudia pectore,
  Cum Roma Diuum ritè ſacrat,
    Indigeti & patuere templa?
Nunc eſt canendum, nunc mihi floribus
Spargenda tellus; laurus & innuba,
  Et feſta mirtus infulata
    Templa, vias, fora nunc coronent.
Sic poſcis, Heros inclyte, pronior
Cui dextra ſemper, prodiga munerum.
  Teſtes ſubactæ ſæpe peſtes,
    Atque Herebi domitæ phalanges.
At quando frænant puppibus æquora,
Et iura ventis dant Ligures; ferant
  Nomen Thienæi verendum
    Vela, rates, aquilo per Orbem.

PA-

# PANORMVS

## EPIGRAMMA XIII.

Adſis vmbriferos reuincta crines
 Serto diuite, nobilis Panorme;
 Par eſt, vt celebres flagrante thure
 Mixtum ſyderibus pium Thienem.
 Tuis quàm facilem applicauit aurem
 Votis! quàm ſubitò euolaſſe viſus
 Vndis in medijs, maliſque ſummis,
 Supplici toties vocatus ore!
 Accurrit celeri gradu, diſertas
 Nec ſinit vacuas abire voces.
 Ergo munificè repende grates.
 Scis quid muneris afferas merenti?
 Nempè munera poſtula, & dediſti.

# MESSANA

## EPIGRAMMA XIV.

Sum gemini Regina maris Meſſana; tuetur
 Vndis me refluis pontus vterque ſuis.
Claſſibus obiectat rigidus ſua ſaxa Pelorus;
 Si furat hoſtilis nauita, Scylla latrat.
Terret ſtricto enſe è Cælo nimboſus Orion,
 Et mea fulmineis arcibus ira tonat.
Hæc me tutantur: vigilem ſed cerne Thienem,
 Quem modò thura ſacrant; certior Ille ſalus.

# BONONIA

## EPIGRAMMA XV.

Vt Caietani celebrem solemnia, flauas
  Huc adsum doctâ Daphnide vincta comas:
Felsina sum: magni me publica pompa Thienis
  Plausibus à Larijs non sinit esse procul.
Ciues ille meos seruat: mea temperat astra:
  Ille supercilio fata inimica fugat:
Illius hinc laudes memoro: nec Græcia mendax
  Hic canat: externis non opus ingenijs.
Est mea Felsineis Dirce facunda Lyceis:
  Altiloqua est Manto, est Smyrna diserta mihi.

# FLORENTIA

## EPIGRAMMA XVI.

Muneribus dignata tuis Florentia, Diue,
  Lætitijs tantis rebar abesse nefas.
Conscendo hinc nubes, volucrique per aera curru
  Has arces, teneo hæc Romula tecta citò.
Dona tuli, flores: nam quid Florentia ferrem?
  His poterô meritis nectere serta comis:
His aras ornare tuas: florescere templa
  Floribus his poterunt ardua vere nouo.
Ne, Diue, affectum metire à floribus: æui
  Sunt breuis hi: pietas nostra perennis erit.

# VICENTIA

## EPIGRAMMA XVII.

P.lladis hæc ſtudijs, ſtudijs illa inclyta Martis
  Vrbs iactet magnos ſe peperiſſe Duces:
Cum non plura mihi magnorum nomina deſint,
  Quæ toga condecorat, quæ decoratque ſagum:
Clara Thienæi virtus, quam ritè coronat
  Relligio, vna mea eſt gloria, & vna decus.
Credite: tunc merui victricia nomina, & omnes
  Vici Vrbes, Illum cum peperiſſe datum eſt.

# LIBVRNVS

## EPIGRAMMA XVIII.

Me Thyrrhena Thetis lambit, dicorque Liburnus,
  Nobile veliuolis puppibus hoſpitium.
Huc Perſa, Armeniuſque ſagax, huc Inſtitor audax
  Anglicus, huc diues fertque Canopus opes.
Aduena verſicolor, vario & Gens gutture claram
  Me faciunt, nomen nobilitantque meum.
Crede: Thienæi auſpicijs ſum clarior: Ille
  Præſidium, & decus eſt; Ille vocatus adeſt,
Ille & Concilio Diuûm nunc ſcriptus; & aſtris,
  Nectare ab irriguo pectora noſtra beat.
Exundantque ſinu, tacitâ feruentque procella
  Deliciæ: in portu nil iuuat eſſe meo,

CO-

# COMVM

## EPIGRAMMA XIX.

Non obscura Italis mea nomina: fluctuat vndis
Larius, & laudes murmurat ille meas.
Perque manus, perque ora virûm si Plinius Orbem
Currit; fama Viri, credite, fama mea est.
Adde, quod ingenio partum mihi congero & aurum:
Diues & ingentes Gens mea iactat opes.
At nostra hæc pridem fuerint encomia: nunc est
Splendidior longè fama, decusque mihi.
Nempè Thienæus curat mea commoda, Ciuem
Seruat & Ille meum: hæc gloria prima mihi est.

# LICIVM

## EPIGRAMMA XX.

Extremis quamuis Italûm me cernis ad oras,
Sum Salentini gloria prima soli.
Me pietas, splendorque virûm, laqueataque templa
Nobilitant, facili sculptaque saxa manu.
Me Caietani resonat dum fama triumphi,
Non piguit longas arripuisse vias.
Pectore nempè auido, ventis pernicibus ipsis,
Tot terras volucri visa vorare gradu.
Nempè Vrbs Italicum quæ sum velut vltima mundi,
Ad Caietani gaudia prima forem.

BI-

# BITVNTVM

## EPIGRAMMA XXI.

Vrbs Vrbes inter Daunas non vltima, magni
  Spiro Thienæi ceu rediuiua prece.
Grassatur vesana lues: it Daunia tota
  Pessum, funereis strata cadaueribus:
Me Caietani pietas affixa medullis,
  Pictaque pro foribus seruat imago meis.
Effigiem metuit mors implacabilis, illâ
  Munitas abijt deuenerata fores.
Quid referam? litat Indigeti dum Roma recenti;
  Victima sit mea cor, pectus & ara meum.

# GOA

## EPIGRAMMA XXII.

Insula tot pelagi spatijs, tot dissita terris,
  Sedibus huc adsum Goa reuulsa meis.
Caietane, aures peruasit amabile nomen,
  Et miscere iuuat gaudia nostra tuis.
Munera, quæ nobis largè manus aurea fudit,
  Pectore ab immemori non abiere meo.
Hærent fixa sinu, nec donis dona rependo:
  Non mea par meritis Indica gaza tuis.
Eoas quin temnis opes: & nunc quoque vota
  Paupertas Ganges, Indus, Erythra tibi est

PLAV-

# PLAVSVS VIRTVTVM

NVlli congruentiùs sanctioribus hisce spectaculis, triumphisque Diuorum pulcherrimis adesse par est, quàm præsigni Virtutum Choro, quæ Cælo natæ, aut Diuinitatis particulæ sunt, aut quadam cum Diuinitate ipsa cognatione, affinitateque coniunctæ. Iis id præcipuè negotij, curæque datum, vt clarorum hominum, Diuorumque animas suis ipsæ manibus nascentes excipiant, lacte suo nutriant, suo in sinu educent, ornent, expoliant, perficiantque ad vnguem. Mirum profectò est, qua contentione, ac studio in id muneris incumbant: quantum circa magnarum Animarum cultum desudent; quibus instituant documentis, qua morum indole, quo mentis habitu, qua pectoris sanctitate, quàm piè, quàm fortiter, quàm eleganter informent. Quicquid intimi, externique operis in mortalibus est; naturæ quidem est opificium, ac labor: frontem, vultus, oculos, statum corporis, motus, gestus, gratiam ipsam nimirum elucubrat, efformatque. Attamen in his ipsis externi hominis partibus, quod est laudabilius, quod pulchrius, quod sanctius, Virtutum opus est. Enimuerò pulcherrima in fronte honestas, in oculis modestia, verecundus in vultu color, disertum in ore silentium, in motu, gestuque corporis elegantia, decus, grauitas, nulli profectò hominum, nisi Virtutum opera contingit. Quod si interiorem faciem conspicimus, luculenter cognoscimus, nisi virtutum lineamentis, illam minimè effingi, ac exprimi. Siquidem asserenda cum sit sua rationi maiestas, atq; imperij fasces; tum certantes inter se se pugnacissimè appetitus, eorumque motus ita componendi, ac frænandi, vt temperantiæ decus, fortitudinis laudem, religionis cultum, candorem mentis, liberalitatem, magnificentiam, æquitatem inducant; à virtutibus profectò petenda documenta hæc sunt: quæ si desint, nil propius est, quàm vt, exuto homine, belluas homines repræsentent, Pœnis Leonibus, taurisque persimiles. At enimuerò in exornanda potissimum Sanctorum hominum indole, eorumque moribus consecrandis operam ponunt suam Virtutes: vt hæc quidem illos ad Deum erigat, Cæloque inferat, antequam terras deserant: hæc rerum humanarum gustum vitiet, instilletque Cæli delicias.

Illa bellum in seipsum implacabile, piumque odium suadet; illa serenitatem pectori, pacemque menti afflat. Hæc sitire docet; hæc diuino, meroque inebriari nectare: hæc algere, hæc incalescere amoris igne: Nempè hæ Diuorum nutrices sunt, hæ magistræ morum; hę ijs inculpatæ vitæ leges dicunt; hæ clarorum operum exempla, ideamque ponunt ob oculos: vt meritò de Alumnis suis dicere Virtutes possint, quod Romana illa mulier de lectissima filiorum sobole dixit: Hi nostra ornementa sunt: atque ea etiam vsurpare Apostoli verba: Gaudium nostrum, & corona nostra. Adsunt igitur meritò triumphis hisce Sanctorum, ceu suis, Virtutes: Triumphare cum ijs par est, quando eorum manus docuere ad bellum, & cum ipsis pugnarunt ipsæ strenuè, & vicere. Nihil in hac theatri luce splendidius, ac magnificentius, quàm Virgines adesse, ab stirpe generis prænobiles, spectatæ frontis, atque oris specie pulcherrimas, indole elegantissimas, cultu longe ornatissimas. Quantum deinde loci magnificentiam adauget multiplex in ijs vultus, atque illa in amictu, in velis, in capillitio, atque in cætero apparatu corporis varietas? Huic liberalis facies, & constans; huic subaspera, huic pulchrè subridens; hæc aurea diues tunica, hæc simplici: Vides virili aspectu loricatam; vides armis instructam ad bellum; vides sua contentam innocentia inermem: quædam aureo insignis capillamento; quædam soluto crine incompta. Quid illa Leonis exuuijs blandè ferox? quid illa suis lachrymis, velut Indicis vnionibus nobilis? quid illa à pulcherrima ieiunij macie squalore periucundo ornatissima? Quid à vili toga splendida, non sordida? Quid lacero, tritoque superbiens palliolo? Mitto cilicia, chalybem, ferrum ostentantes ad pompam: mitto alias: nam tempus est, vt considat suo quæque loco virtus, suumque pronuncient plausum: breui quidem: nam pauca loqui Virgines decet.

# PAVPERTAS

## EPIGRAMMA I.

Haud innixa opibus, procul auro, atque indiga rerum,
Viuebam vultu squallida, nuda sinum.
Non hæc vita grauis; nam lingua remanserat: aurum
Illâ si peterem supplice, diues eram.
Hanc mihi pauperior diuulsit ab ore Thienes,
Vrgente & iussit conticuisse fame.
Quis credat? mihi tunc creuit facundia; cœpi
Et linguâ elinguis liberiore loqui,
Quæque priùs pulso mortales vocibus aures;
Mutæ nunc prensant Numen, & astra preces.

# CASTITAS

## EPIGRAMMA II.

Non tellus, Cælo præbent mihi sydera cunas,
Cordáque sunt Scythica candidiora niue.
Grata Deo virtus: si nuberet æthere Numen;
Credite, Sponsa pij Numinis ipsa forem.
Hinc terris nupsi castissima Virgo: Thienes
Candidus est Sponsus, Purpureusque mihi.
Connubij nempe has leges, thalamique iugalis:
Vis bene, vis aptè nubere? nube pari.

# OBEDIENTIA

## EPIGRAMMA III.

Subdita , non humilis , faciles do proniùs aures
  Alterius dictis , promptaque colla iugo ,
Sic Caietanum fingo ; cui dulce subesse ,
  Et visus tristi fronte præesse suis .
Compede at excussa , liber , Cæloque receptus ,
  Magnanimâ mores indole seruat adhuc .
Paret , si iubeas : & fulminis ocyor alis ,
  Si in tua vota vocas , ad tua vota venit .

# RELIGIO

## EPIGRAMMA IV.

Virtutum sublimis apex , Regina decoro
  Cultu præsum alijs , principe digna loco .
Mens imbuta Deo venerabile Numen adorat :
  Per me templa nitent splendida , thure calent .
Scilicet , interpres , Cælique Vicaria tracto
  Sacrorum leges nutibus ipsa meis .
Olim Relligio curæ fuit vna Thieni .
  Me voluit Numen pectoris esse sui .
Quàm bene nunc aris colitur , qui Numinis aras
  Et templa expolijt splendidiore manu .

# PRVDENTIA

## EPIGRAMMA V.

Sunt oculi vigiles, mens consultissima, plenum
Consilij pectus, vis & odora mihi est.
Rerum nulla latent secreta cubilia; noui
Quæ sint, quæ fuerint, quæ propè, quæque procul.
Hac Caietanus mentis valet arte sagaci:
Hac mores, hac & tempus vtrumque regit.
An fuerit prudens, quæ legibus agmina mundo
Adstringenda meis intulit, illa docent.

# FORTITVDO

## EPIGRAMMA VI.

Æs triplex mea corda tegit; prædura que iaspis
Munit, inaccessa & pectora dura silex.
Non me stricti enses terrent; non Iuppiter ipse,
Ignea seu torquet fulmina, siue tonat.
Auspice me, impauido per tristia tela, per enses
Ire Thienæum pectore, Roma videt.
Et mirata Virum prope lethum psallere lætum;
Sic sua, ait, niueus funera cantat olor.



TEM-

# TEMPERANTIA

## EPIGRAMMA VII.

Illa ego sum genij domitrix : mea nanque voluptas
  Fræna voluptati ponere sola fuit.
Non Siculæ peccent epulæ, me Præside : mensis
  Nec nimius fundit Massica vina calix.
Hoc agit ille sui dominus, domitorque Thienes.
  Hoc iuuat, illecebris imposuisse modum.
Fallor : mensuram video excessisse, modumque,
  Dum studet illecebris imposuisse modum.

# IVSTITIA

## EPIGRAMMA VIII.

Pendet libra manu : sunt hæc insignia nostri
  Muneris : æquatâ lance do cuique suum.
Aut Scythico niteant adamante : aut paupere cultu
  Sordescant ; nostra est omnibus æqua manus.
Parce Thienæe : est siquidem tibi cætera virtus :
  Iustitiam haud æquâ lance, manuque colis.
Nanque suum cunctis cum des, hominique, Deoque ;
  Cuncta Tibi rigidâ fronte, animoque negas.



# FIDES

## EPIGRAMMA IX.

Quæ frontem, vultuſque vmbrant vela inuida; noſtris
Ne credas oculis eripuiſſe diem.
Nanque per obſtantes tenebras penetrabile lumen
Fertur ad æternum clariùs inde Iubar.
Lucem nempè auget nox intempeſta: diemque
Cœcam quæ mentem contegit, vmbra facit.
Hanc modo Cælo vmbram iuuat abieciſſe Thienem:
Ne noſtra aſpiciat velaque nulla vetant.

# SPES

## EPIGRAMMA X.

Sum Cælo virtus, ſuperis & penſilis aſtris:
Ad ſua me locuples vbera Numen alit.
Non aurum, nec opes, nec ſunt mortalia curæ
Nempè mihi Deus & cenſus, & ampla ſeges.
Olim fida comes Caietani: Illius heſi
Semper ego lateri; ſemper & ille meo.
Omnia dimiſit: ſpes ſola remanſerat illi:
Hac ſola in cultu paupere diues erat.

CHA-

# CHARITAS

## EPIGRAMMA XI.

Sum gemina : hi terras, hi spectant sydera vultus :
Hinc homines, nostra hinc pectora Numen amant.
Scindor & in partes ; eademque, atque altera dicor :
Tota hominum, facili & pectore tota Dei.
Sic Caietanus partes se scindit in ambas :
Pars amat vna homines, pars amat vna Deum.
Nanque mei similis, non is fuit vnus amando
Diuinique bifrons Ianus amoris erat.

# ZELVS

## EPIGRAMMA XII.

Ardet flamma oculis, dextrâ stat flammeus ensis;
Spirat flammiuomus vultus & ipse minas.
Est hominum vindex Zelus, lictorque nocentum,
Qui scelerum pestes non sinit esse diù.
Hic Caietani vel mitia pectora sæpè
Asperat, hæreseon vt fera monstra domet.
Ardet sæpe ferox, magnique Tonantis vt aras
Vindicet, aspectu fulgurat, ore tonat.

# PATIENTIA

## EPIGRAMMA XIII.

Non irata Iouis me terret dextra , malorum
Nobis est pectus grande , animusque capax .
Intentet lictorque necem , Nemesisque securim :
Nex dulcis , dulcis dira bipennis erit .
Ceruicem , haud animum flectit Patientia : pulchrè
Sustinet , haud cedit mens generosa malis .
Fortia magnanimus dedit hæc documenta Thienes :
Votorum hæc illi summa , suprema pati .
Guttura si sitiunt , si dormit in assere ; pasci
Nectare se reputat , seque cubare rosa .

# SILENTIVM

## EPIGRAMMA XIV.

Subdola , si nescis, nostro latet anguis in ore ;
O quæ, blanda licet , dira venena vomit .
Exiguam domuisse feram , mostrumque cruentum ;
Herculeus labor est : qui tacet , ille domat .
Stricta Thienæi fregere silentia ; & Ille
Assiduus duro carcere continuit .
Si tamen eloquitur, placet aurea lingua : trahitque
Lingua diserta homines , linguaque muta Deum .

AB.

# ABSTINENTIA

## EPIGRAMMA XV.

Chios metiri calices, mensamque Thieni,
  Non satis, aut nimiæ ponere fræna gulæ.
Esurit, atque sitit: satis illi est purior vnda;
  Ieiunoque satis parcior vna Ceres,
Attritæ hinc vires: pallenti hinc tristis in ore
  Picta fames; hinc & corpora anhela labant.
Illum ego sic docui Cæli proludere mensis:
  Itur ad æternas sicca per ora dapes.

# CLEMENTIA

## EPIGRAMMA XVI.

Nil toruum, nil fronte minax: sunt mitia verba:
  Nulla supercilio terret & asperitas.
Et fugit, & fugat hęc clementia: in omnes
  Melleus hoc nostro in pectore dictat amor.
Vultus pinge meos quisquis cupis ora Thienis
  Pingere: nam vultu, credite, talis erat.
Miscentur facies: resque est incerta; vel ipsa
  Illius effigiem gesto, vel ille meam.

# ORATIO

## EPIGRAMMA XVII.

Nocturnis Cælum pulso, precibusque diurnis;
Alloquor aurita & vocibus astra meis.
At super astra volat mens; exorabile Numen
Complector, tota & diffluo delicijs.
Numinis interpres, sumque internuntia Cæli;
Iura & naturæ tempero, iura Dei.
Auspice me, Cæli penetrat conuexa Thienes,
Et redit, orato Numine, diues opum.
Hoc mirum: precibus populatur sydera Diuus,
Semper & est Iro paupere pauperior.

# HVMILITAS

## EPIGRAMMA XVIII.

Lucem odi, vulgique oculos, plaususque theatri,
Et iuuat in vili delituisse toga.
Indole mutata, lux nunc, & publica sacra,
Et Vaticani culta theatra placent:
Adsum, qua feruet vulgus, vilique lacerna
Discissa, Phrygia me iuuat ire toga.
Nimirum sic, Diue, iubes; sanctéque superbam
Me faciunt pompæ, quas tibi Roma dicat.
Qui fueras humilis, cultu nunc diuite fulges:
Hinc me pompa etiam, fastus & ipse iuuat.

# LAVS DEO.